

O 01-164

DISSESTITO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS,
DE
AFFECTIBUS OPE MUSICES
EXCITANDIS, AUGEN-
DIS ET MODERANDIS.

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

SUB AUSPICIIS
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS,
Dn. WILH. CAROLI HENRICI FRISONIS,
ARAUSIONENSIMUM ET NASSAVIORUM
PRINCIPIS,
BELGII FOEDERATI GUBERNATORIS
HÆREDITARII, RELIQ.
ILLUSTRIS ACADEMIAE GRONING-OMLANDICÆ.
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI.

Ex AUCTORITATE
RECTORIS MAGNIFICI
Dn. CORNELII à VELZEN,
S. S. Theol. Doct. & Prof. Ordin. Celeberr.

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
& NOBILISSIMÆ FACUTATIS PHILOSOPHICÆ Decreto,
PRO ARTIUM LIBERALIUM MAGISTERIO, ET GRADU DOCTORI-
RATUS, SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS LEGITIME CONSEQUENDIS.

Publico & solemni Eruditorum Examini submittit.

FRIDERICUS ADAMUS WIDDER
MANNHEMIO-PALATINUS. S. S. Ministerii Cand.

Ad diem 18. Februarii. 1751. H. L. Q. S.



GRONINGÆ,

Apud HAJONEM SPANDAW, Bibliopolam. 1751.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO

D O M I N O

WILHELMO CAROLO
HENRICO FRISONI,

D. G. ARAUSIONENSIMUM ET
NASSAVIORUM PRINCIPI,

ETC. ETC. ETC.

FOEDERATI BELGII
GUBERNATORI HÆREDITARIO,

ET ARMORUM TERRA MARIQUE
PRÆFECTO SUPREMO,

ETC. ETC. ETC.

ACADEMIÆ GRONING-OMLANDICÆ
RECTORI MAGNIFICENTISSIMO,

E T

C U R A T O R I P R I M O ,

ETC. ETC. ETC.

MAGNO LIBERTATIS VINDICI, ET FELICIS-
SIMO SALUTIS PUBLICÆ RESTITUTORI,
ARTIUM ET DOCTRINARUM ALTORI.

CÆ-

CÆTERISQUE PERILLUSTRIBUS &
AMPLISSIMIS DOMINIS ACADEMIÆ
GRONINGOMLANDICÆ CURATO.
RIBUS PERPETUIS.

*VIRIS NATALIUM NON MINUS QUAM MUNERUM
AC VIRTUTUM DECORE SPLENDIDISSIMIS.*

D^N. J. DE DREWS.

Inclitæ Civitatis Groninganæ Consuli, Societatis Indiæ occidentalis Directori, Cataractarum Aduardensium Præfecto &c. &c. &c.

D^N. P. R. IDDEKINGE.

Celebratissimæ Urbis Groningæ Consuli. Itidem Societatis Indiæ Occidentalis Moderatori & Cataractarum Aduardensium Præfecto. &c. &c. &c.

D^N. SCAT. GOCKINGA.

Ejusdem Urbis Groninganæ florentissimæ Consuli. Illustri Collegio Deputatorum Adscripto. Societatis Indiæ Occidentalis Gubernatori, Cataractæ Scharmerianæ in ea parte, quæ vulgo 't Oosterstadshammerik vocatur Præfecto.

D^N. G. ALBERDA.

DOMINO de DYXIERHUIS, Toparchæ in Petershuuren, Eenrum, Huisinge & Menkeweer. &c. &c. &c. Societatis Indiæ Occidentalis Directori Cataractarum Winsumanarum & Schaphalsterensium Præfecto.

D. E. R. ALBERDA.

DOMINO de BLOEMERSMA &c. &c. &c. Itidem Illustris Collegii Deputatorum membro splendidissimo. &c. &c. &c.

D^N. J. PICCARD.

DOMINO in Slogteren, Harkstede, Colham &c. &c. &c. Illustris Collegii Deputatorum membro, Cataractarum trium Delfzylensium Præfecto supremo. &c. &c. &c.

Hancce Dissertationem summa animi reverentia.

D. & O.

Devotissimus. A U C T O R.

F. A. W I D D E R.

P R A E F A T I O

A D

L E C T O R E M.

L. B. S.

QUAMVIS ab orbe condito, vel saltem non multo post tempore, musices sint repetendi natales, illaque multis seculis nuda ac rudis ad solos animi sensus exprimendos fuerit reperta, ante quam ratio tonorum indagatur: Vix tamen satis mirari licet, Eruditos perplures, qui & hoc, & præteritis seculis musicam diligenter exponere conantur, omnem laborem in eo collocasse, ut prolixè de sonis & tonis, eorumque proportione agerent, varia musices genera, partes, utilitatem, viresque, (neglecta, quæ bac in re potissimum desiderabatur, mirabilem, quos musica præstat, effectum indagatione, & explicatione,) describerent. Longe à me abest, ut eorum virtutem diligentiam, qui quacunque ratione musicæ prodesse cupiunt; neque damno, quod ipsis sonis tonisque vim quandam & potestatem in animos nostros inesse crediderint, quin hoc potius, ceu experientia comprobatum, agnosco: Verum id omnino probare vix possum, quod illi tonis, eorumque combinationi explicandis ita unicè inhæreant, ac se omnis musices elegantia & doctrina simplici regularum, juxta quas tonos disjudicare, musicamque componere tenemur, explicatione absolvetur. Cum musica certe, quæ ad tolerandos facilius labores, variisque animi sensationes exprimendas, velut muneri hominibus data est, ob mirabiles ipsius, quos experimur, effectus altiori & accuratiori indagatione dignissima existimari debeat. „ Multum egerunt, (ut cum SENECA Epist. XXXIII. loquar) qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Multum adhuc restat operæ, multumque restabit. Neque ulli nato, post mille secula, præcidetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi. „ Quandoquidem vera humana industria,

P R A E F A T I O.

dusfridā, temporisque successu, nostro imprimis seculo Philosophia ad tantum perfectionis gradum adscendit, ut ex institutis Philosophorum Experimentis & Observationibus haud pauca naturae phænomena indagari queant ac explicari; banc quoque materiam nostram ex principiis physicis & metaphysicis, tam perspicue demonstratis, pro virium measuram tenuitate, illustrare, & examinare tentavi. Ea igitur, quæ de sono, tonisque, ab aliis sunt tradita, non, nisi brevissimè, quantum ad scopum faciunt meum, selegi, connexuique. Ne vero in affectuum, ope musices excitandorum, & moderandorum origine exponenda prolixus esse cogerer; ea, quæ de illis in Psychologia doceri solent, paucis solum verbis reperi. Quodsi ergo in Demonstrationibus hic ibi Metaphysicam citatam invenies, me systema metaph. Viri Philosopbi longe Acutissimi, Praeceptoris mei de me, studiisque meis optimè meriti, Fautoris ad cineres usque colendi, Celeberrimi ENGEL-HARDI intelligere, scias velim. Ceterum, in Dissertatione elaboranda experientias prius & phænomena recensui, ut, erutis ex ipsis proportionibus, veritatem et felicius indagare & demonstrare possem. Quapropter I. Tonorum originem & affectiones in genere exposui, II. quænam in cerebro & mente ipsis tonis respondeant mutationes, indicavi, & III. mirabilem, qui Musicam perceptram comitari solent, effectuum rationem ex observatis reddere sum conatus: quemadmodum ex ipsis Dissert. perlectione patet. Quodsi ergo veras illorum effectuum causas in medium protulisse fortè contigerit, non est, quod laboris, in re jucundissima impensi, paruisse me queat. Tu vero L. B. bosce meos conatus qualescumque aqui bonique consule, ac mibi fave. Vale.





DISSERTATIO PHILOSOPHICA INAUGURALIS DE AFFECTIBUS OPE MUSICES EXCITANDIS, AUGEN- DIS ET MODERANDIS.

SECTIO I.

De

Tonorum Origine & Affectionibus in genere.



Orpus sonorum appellatur, quod, quomodocunque percussum, afficit organum auditum ad debitam distantiam. Ipse autem, quem corpus sonorum per spatum inter organum auditum & corpus sonorum interjectum producit, effectus, quatenus iste motum in ipso auditus organo excitare valet, Sonus nominatur.

§. 1.

Sonus generari, dum partes corporis sonori percussi valde contremiscentes ipsas aeris circumfui particulas proxime adjacentes, & hinc medianibus, rursus alias remotiores, mira celeritate propellunt, motumque in illis tremulum excitant; innumera, quae ad soni productionem indagandam à Physicis institui solent, experientia manifestissime comprobant.

A

SCHO-

DISSESSATIO PHILOSOPHICA

SCHOLION. Ipsem et eisdem ARISTOTELES, L. II. de *Animis* C. VIII. soni fundamentum ac medium in motu aeris ex percussione quadam orto, & ad aarem propagato quarens, haud obscure hanc, quam §. præf. explicuimus, soni originem cognovit; At hodie tamen eandem, experimentis naturam interrogando, veteribus multo clarius multoque certius experimur. Digna sunt, quæ hoc referantur MERSENNI, GASSENDI, PERALTII, KIRCHERI, FRANC. DE LANIS, HON. FABRI, BOYLEI, CARREI, DE LA HIRE, WOLFII aliquumque Philosophorum experimenta circa soni productionem non unis vicibus instituta; quorum si ubiorem desideres cognitionem, vid. PERALTII *Tract. de Sono*. KIRCHERI *Phonurg. pessim.*, STURMII *Phys. Hypoth.* T. I. S. II. C. VII. p. 353. ROHALTI *Phys. P. I.* C. XXVI. III. NEWTONI *Pr. Pb. N. Math.* L. II. pr. 43. seq. & GRAVESANDE *Inst. Pb. Newt.* p. 168. n. 494. III. WOLFII *Phys. Exp. T. III. C. II. Cl. MUS-* SCHENBROEK. *Ei. Ph. C. XXXVII.* Cel. ENGELHARDI *Phil. Nat.* §. 250. seq. *Mémoires de l' Acad. R. des sciences A.* 1700. p. 318. seq. quibuscam ea, quæ in aliorum scriptis physicis hac de re extant, conferas velim: hæc enim, si vel obiter hic recensere animus esset, vereor, ne hæc dissertatio in nimiam molem excresceret. In genere igitur observernus, & vel corpora sonora in semet invicem impingant, ita, ut percussio in minimis corporum istorum particulis oscillationem vel tremorem excitet: & vel aliud corpus impetu quodam in aërem incurat: & vel denique ipsæmet elasticæ, ac fibi invicem resistentes, aëris particulae inter se collidantur, sonum constanti quadam lege produci.

§. 3.

Si chordarum ejusdem materiae, sed diversæ tensionis, crassitatis ac longitudinis, beneficio sonum excitamus: chordam minus tensam, crassiorem longioremore sonum edere obscuriores & languescentes; in casu autem opposito clariorum pariter ac vividiorem oriri sonum, experientia docet.

§. 4.

Quoniam vero partes corporis sonori, dum sonum edit, valde contremiscunt (§. 2.), caue propter locum suum continuo mutant, eundemque constanter repetere conantur: haud multo labore perspicio, chordas, ad motum concitatas, varios ac innumerabiles plane arcus, eundo & redeundo, describere, qui Vibrationum nomine veniunt.

SCHOL.

I N A U G U R A L I S.

3

SCHOL. Concipiamus quæso, ut clariorem hujus rei, formemus ideam, chordæ pondus annexum esse, eamque digito, vel alio quoconque medio, incurvari; hoc sane, quo chorda tenditur, pondus ipsum continuo, dum moveretur, retrahetur, eoque ipso vi, per motum illi impressæ, resistet, quo fit, ut chorda vi duplaci, impressa scilicet ac ponderis retractiva, moveri perget; ex qua mutua actione & reactione vibrationes oriuntur. Quamvis enim chorda tensa & elastica percussa ac ad motum concitata, iterumque remissa, ad eundem, quem antea occupaverat, tensionis pariter ac quietis suæ locum rursus pervenerit, tantum tamen abest, ut chorda in loco eodem persistere possit, quia ista potius, vi externa hancet quietis suæ locum mutare coacta, eundem repetitis vicibus, propter motum impressum continuatum, transflire, eoque ipso ire ac redire cogatur, donec vis impellens ac motus illi impressus agendo desinat, chordaque sic ad punctum quietis ac tensionis successivæ accedens quiescat. Ut ergo manifestum fit, soni vividitatem ipsamque vim impellentem s. motum in ratione directa crescere pariter ac decrescere. Hæc vero, quæ de chordarum vibrationibus generatim monuimus, ad minimas quoque illarum particulas applicari & posse & debere existimo. Sonus enim successivis partium contremiscientium oscillationibus suam debet originem (§. 2.); quare particulas corporis sonori percussi ita moveri concipio, ac si, ob percussionem, è loco suo profiliere niterentur, & revera ex eodem ejicientur, nisi partium elasticarum, gravium & secum invicem connexarum una alteram continuo retraheret, ac, ut locum repeatat suum, impelleret: hinc unamquamque chordæ particulam contremiscientem ita redditusque immutabiles & minimos describere, ac sonum quendam à nobis vero imperceptibilem efficere, censeo. Quæ vibrationes minime, in maiores filamentorum arcus degenerantes, sonum quendam totalem ex innumeris partialibus minoribusque sonis compositum producunt. Hæc autem, quæ de minimis particularum oscillationibus differimus, experientia quam maxime esse consentanea, ex eo colligas velim, quod chartula filamento, cuius nullum amplius fontem percipimus, imposta motu subtiliorio resilit, eoque ipso motu in particularis vibratoriorum quam manifestissime ostendit. Intelligis ergo, quia fiat, ut illi, qui acutiori polente auro, sonum chordæ debiliore & quasi è longinquuo audiant, cum alii nullum amplius percipient.

§. 5.

Quemadmodum vero chordæ longiores vel breviores, crassiores vel tenuiores, minus magisve tensæ ad majorem vel minorem extendi queunt curvaturam: ita illarum quoque arcus, quos

4 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

vibrando describunt, majores, harum vero minores esse, sua sponte patescit.

§. 6.

Sed chordarum arcus, quō sunt majores aut minores, eō tardius vel citius ire ac redire possunt: quapropter numerus vibrationum, eodem tempore factarum, in posteriori casu major, in priori autem minor est.

SCHOL. Pondus enim chordis diversæ longitudinis & crassitiei annexum, aut, quæ ipsi substituatur *tensio*, chordam minorem, tenuiorem s. minus resistenter sèpius retrahere valet, adeoque major eo in casu, ob acceleratam actionem & reactionem, vibrationum numerus generetur oportet (Schol. §. 4.). Fac quæso chordarum duarum æque tensarum & crassarum longitudinem esse ut 1. 8. illa, dato tempore 8. hæc verso i. vibrationem peraget, quia prior tota vibratur, dum altera non, nisi octavam vibrationum suarum partem absolvit. Octies ergo chorda brevior it ac redit, dum longior semel vibratur. Sic ergo in genere, ipsa testante experientia patet, numerum vibrationum in chordis æque crassis & æqualiter tensis esse reciproce, uti sunt chordarum longitudes.

§. 7.

Hactenus equidem de modo, quo chordæ sonum producunt, verba fecimus; ait magnam esse similitudinem, quæ, in soni generatione, chordas aliaque corpora sonora intercedit, ad structuram, & quem præstant, usum attenti experimur. Quæ enim corpora pulsū sonant, Ex. gr. Cylindri ænei, campanæ, &c. sila, si, manente figura eadem, majora, crassiora & ampliora sint, itidem sonum obscuriorem & languescentem; in casu autem oposito sonum clariorum ac vividiorem edunt. Instrumenta vero Musica, quibus aëris inflati beneficio sonum producimus. Ex. gr. Tibiæ, Buccinæ, Tubæ, et sim. pro diversa, quæ illis competit, longitudine & cavitatis amplitudine sonum obscuriorem, vel clariorum efficiunt; illum, si longiora sint & ampliora, hunc vero, si modo dicta opposita sese habent ratione. Tibiis autem, Fistulis, Buccinisque hoc peculiare est, ac nostram meretur attentionem, sonum, prout aëri majori vel minori. vi inflatur, licet eadem maneat longitudine & capacitas, illico tamen clariorum evadere vel obscuriorem.

SCHOL.

INAUGURALIS.

5

SCHOL. Non desunt, fateor, plura adhuc instrumenta musica, digna ut de illis ageremus: sed in ipsis recensendis prolixiores esse, ipsa vetat instituti ratio. Præfertim, cum sub iis corporibus sonoris, quorum §. præf. fecimus mentionem, contineantur, aut cum illis coincident. Huc, quoquo, refer *Parallelepipedæ*, ex metallo, aut alia quacunque materia sonora confecta, *Tympana*, *Scyphos vitreos*, ac innumera *Tibiarum*, *Buccinarum* & sim. genera. Quorum instrumentorum musicorum, &, quæ illis instituta sunt, experimentorum, si ubiorem desiderares cognitionem; vid. M E R S E N N I, DE LA HIRE CARREI, PERALTII, KIRCHERI. D. SAUVEUR aliorumque observationes, quibuscum omnino conf. Cel. DU BOIS *Dissert.* de *Sono*. §. 21. seq.

§. 8.

Ob ingentem ergo, quemadmodum ex §. præced. constat, similitudinem, quæ chordas aliaque corpora sonora intercedit, ea, quæ de chordis sonum producentibus (§§. §. 6.) affirmavimus, de cæteris quoque corporibus sonoris, si rite applicentur, valent. Scilicet, I. *Arcus vibrationum eà esse majores*, quo corpora sonora ipsa majora, crassiora, longiora, vel ampliora sunt; minores autem evadere eosdem, si dictorum opposita locum obtinent. II. *Priori casu pauciores*, posteriori vero, plures eodem tempore vibrations oriri.

SCHOL. Fac campanas magnitudine crassitie diversas pulsari; haud multo sane labore intelligis, majorem si percutias, plures illius, ex qua constat, materiæ partes resistere, pluresque moveri ac contremiscere: quapropter majus sit spatium, in quod vibrationes excurrunt, ac majores sint istarum arcus, sonumque obscuriore & languescentem generari, oportet (§§. 5. 6.). Quæ omnia, si minor percutiatur campana, oppositè semet habent. Ad ipsam vero magnitudinis, capacitatis s. diametri & soliditatis rationem si attendamus, gradus differentiæ sonorum haud difficulter determinari posse, ultro perspicis. Parallelepipedæ ænea quod attinet, ea, si longitudinem minueris, vividorem edunt sonum; si vero, istâ eadem manente, crassitatem mutaveris (abradendo scil. superficiem illorum maximam) obscuriore debilioremque sonum oriri experientia docet: en ergo, quam illa cum chordis servant, similitudinem! Memoratu tamen dignum mihi videatur, (quod ante biennium circiter observare mihi licuit,) soni parallelepipedorum perceptibilem mutationem factam haud fuisse, cum servatis longitudine ac crassitie, latitudinem, resectis duabus partibus

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

tertiis, mutasse. Quare suspicari coeperam, hasce sonorum differentias non, nisi à motu materiæ juxta longitudinem & profunditatem, dependere, quia, hisce servatis, idem arcus, magnitudinis respectu, vibrando describuntur, hinc, sonos obscuriores fieri haud potuisse, in aprico est. Sed tibiæ, dices, quomodo chordas in sono producendo imitantur? brevibus, ut hanc rem intelligas, efficiam. Sonus nostro in casu oritur, dum aër inflatus superficiem fistularum, buccinarum &c. internam stringens, lambens, columnam aëream, in illis existentem, ambit ac intra se complectitur, eandemque comprimit, ac ad motum ciet (*Scb. §. 2. §. 7.*), quo sit, ut, ob vim aëris externi elasticis & aëri inflato resistentis, columna hæcce aërea repetitis vicibus ire ac redire cogatur: hinc ergo vibrationum; hinc soni origo (*§§. 2. 4.*) Aër itaque externus ac resistens pondus chordis annexum (*Scb. §. 4.*); columna vero aërea, intra tibiarum cavitatem existens, chordas ipsas imitatur. Ex quibus simul apparet, quare, pro diversis tibiarum longitude ac amplitudine, vibrationes magnitudine & numero diversæ, variique soni generentur (*§§. 3. 5. 7.*), quorum ratio quam maxime composita est. Pluribus autem phænomenis, circa tibias earumque structuram observari solitis, explicandis, lubentes, alio fortassis tempore de iis enodatius acturi, supersedemus.

§. 9.

Sonus ille obscurus & languescens pauciores, vividior autem plures vibrationes eodem tempore factas involvit: hinc ille maiorem aëris circumflui copiam, sed tardius; hic vero minorem ejus quantitatem, sed celerius motam supponit. In genere enim chordæ longiores, minus tensæ, vel crassiores, itemque corpora sonora majora, crassiora, longiora, & ampliori prædicta capacitatem sonum obscurum & languescensem producunt; in casu autem opposito sonus generatur vividior (*§§. 3. 7.*). Jam vero illa percussa maiores vibrando describunt arcus, qui in casu posteriori minores evadunt (*§§. 5. 8.*). Quo autem arcus vibrationum majores vel minores sunt, eo pauciores, vel plures oriuntur vibrationes (*§§. 6. 8.*). Ergo sonus obscurus minori, vividior autem numero vibrationum majori suam debet originem, *quod erat usum.*

Deinde, quia sonis nascitur, dum corpus sonorum percussum, vibrando, aëri circumfluo motum imprimit tremulum (*§. 2.*): ex modo dictis alteri propositionis nostræ parti sua constat veritas (*§. 5. seq.*).

INAUGURALIS.

7

SCHOL. Non immerito igitur BOETHIUS L. I. *Mus.* C. III. hanc soni differentiam, quam §. *præf.* innuens, in diversa vibrationum celeritate quæsivit. Infra autem ingens hujus Theorematis utilitas in determinanda tonorum diversitate patebit.

§. 10.

Quandoquidem vero numerus ille vibrationum major vel minor, cui sonus obscurus vel vividior suam debet originem (§. *præc.*), non est, nisi relativus; sua sponte consequitur, rationem ac proportionem quandam, ex ipsa numeri vibrationum diversi similitudine & comparatione ortam, sonos inter obtinere, vi eius eorum unus ex altero determinari, ac relatio, quæ gaudent, indicari potest unde toni formamus ideam.

§. 11.

Per *Tonum* itaque sonum ex alio fono determinatum, s. sonum ad alium sonum relatum intelligimus. Sonorum autem vividioris & obscurioris ad se in vicem relatorum, ille acutus, hic vero gravis appellatur *tonus*.

SCHOL. Sic v. gr. soni instrumentorum musicorum C. A. F. tonorum nomine veniant: *tum*, quod hi soni ex aliis, ob proportionem suam, determinati sunt; *tum*, quoniam ex hisce sonis alios rursus sonos determinare solemus: Ex gr. *Quintam*, *Tertiam* &c., quoram illos simplices magis, hos vero compositos haud inepte dixeris.

§. 12.

Duo igitur in sonis distinguenda sunt, ipsi scil. toni diversi, & mutua deinde, quæ boc intercedit, relatio s. ratio.

§. 13.

Quilibet autem tonus determinato vibrationum numero constituitur (§§. 10. 11.): quare, boc autem vel imminuto, alias tonus, aliaque istius ad ceteros tonos ratio nascatur, aportet.

SCHOL. Verum equidem est, soni intensitatem successive decrescere (*Schol. §. 4.*), quia vis impellens continuo minuitur; ast hoc tamen non officit, quo minus toni, seu debilius seu fortius percipiuntur, iidem maneant, modo numeri vibrationum eandem servent proportionem. (§§. 10. seq.)

§. 14.

§. 14.

Differentia tonum gravem inter & acutum ex diversitate numeri vibrationum, eodem tempore factarum, minoris ac majoris, item ex motu aëris tardiori vel celeriori, quatenus ad se invicem referuntur, emergit. Tonorum quippe discriminem in genere ex aucto vel imminuto vibrationum numero originem trahit (§. præc.). Sonus autem languescens, qui gravem, & vividior, qui acutum constituit tonum, in eo differunt, quod ille pauciores, hic vero plures eodem tempore vibrationes peragat, ac quod ille tardius, hic autem celerius aërem propellat (§. 9.). Quapropter, eadem quoque sit differentia inter tonum gravem & acutum, oportet.

SCHOL. 1. In hoc igitur Theoremate ipsa toni gravis & acuti definitio genetica fundatur: illum scilicet esse tonum, qui paucioribus, hunc vero, iqui pluribus generatur vibrationibus eodem tempore factis. Ex hac insuper, quam §. præs. indicavimus, toni gravis acutique distantia, omnium, quibus in musica utimur, intervallorum, monochordi beneficio tonorum differentias metiendo, determinando, rationem reddere valemus. Sic ex gr. si proportio duorum tonorum sit 1: 2. Octavam, si 2: 3. Quintam, si 3: 4. Quartam &c. à musicis nominari constat. Pari modo, ex mutua, quā toni gaudent, proportione observata, cæterorum quoque tonorum denominatio instituitur. Videat, qui plura de hac tonorum dimensione legere cupit, KIRCHERI *Musurg. CARTESIUM de Musica P. de LANIS Magist. Nat. & Art. HON. FABRI Tract. Phys. HERMANNI Exerc. Subces. Cel. EU- LERI Nova Theor. Mus. Memoires de l' Acad. Royal. A. 1700. & passim. Quænam vero tonorum divisio ac denominatio apud veteres præcipue Græcorum Musicos in usu fuerit, ex ARISTOXENIS, BOETHII Lib. Mus. itemque ex WALLISII Prof. Geom. Oxon. *Musica Vet. & Recent. Compar. VITRUVII L. V. C. IV. &c.* videre est.*

SCHOL. 2. Ex iis autem, quæ (§. 15. seq.) monuimus, prono fluit alveo, gradus acuminis esse, uti sunt numeri vibrationum eodem tempore factarum directe, vel uti diametri arcuum, inverse: seu acumina tonorum & arcus curvarum sunt in ratione reciproca. Quod reliquum est, Octavam ex cæteris tonis intermediis constare, observes velim. Octave enim distantia Quinta & Quarta est, (quæ reliqua tonorum intervalla complectuntur) & ex illarum rationibus in se invicem ductis entergit; v. gr. $\frac{2}{3} \times \frac{3}{4} = \frac{1}{2} = 1: 2$. Quamvis autem Octave chordarum tibia-

tibiarumque sint 1: 2; octavam tamen Parallelepipedorum æneorum rationem 1: √ 2 servare, ex eo colligimus, quod, si *unum* illorum constituantur latus Δ rectanguli, *alterum* hypotenusam esse doceamus.

§. 15.

Prouti vero diversorum quorundam tonorum, simul sonantium, ictus certis statisque momentis congruunt ac uniuntur, vel vero minus (§§. 13. 14), ita, ex hoc variarum numero vibrationum ordine ac consensu s. unione perfectio quædam tonorum plurium, secum invicem collatorum, emergit: Cum ex inordinato vibrationum motu, dum scilicet raro aut nunquam uniuntur, sed confunduntur potius, ipsi toni, secum comparati, dissensum arguant & imperfectionem. Ex quo vibrationum consensu & ordine, *Consonantiarum*; ex illarum vero dissensu ac confusione, *Dissonantiarum* rationem sufficientem ex parte reddendam esse, nulli dubitamus.

SCHOL. Ex gr. si duarum chordarum vibrationes sunt, 1: 2. uniuntur 2 + 1. 4 + 2. 6 + 3 &c, id est, absolutis 3. 6. 9. vibrationibus conjunctim factis illæ congruunt. Pari modo, si vibrationes ejusmodi sunt in ratione 2: 3. coincidunt 3 + 2. 6 + 4. 9 + 6: ut ergo numeri 5: 10: 15. illarum unionem indicent. Quandoquidem vero toni aurium beneficio percipi pariter ac dignosci debent (quod infra §. 26. seq. enodatus ostendetur), in estimando consensu vel dissensu, qui vibrationes, numero determinatas, inter obtinet, hujus quoque auditus organi rationem habendam esse duxi. Quæ restrictionis, in fine §. h. occurrentis, ratio est.

§. 16.

Harmonia igitur tonorum mihi nil est aliud, quam talis vibrationum ordo ac proportio, vi cuius illi ita secum ipsis & cum aliis quoque tonis uniri, ac dispesci possunt, ut consensus & perfectionis ideam excitant. Tonos autem, in quibus modò dicta obtinent, *Consonantias* appello. Qui vero toni contrario se habent modo, *Dissonantias* constituunt.

SCHOL. Hic in genere solum consonantias & dissonantias definivimus; specialius autem de illis suo loco differetur.

§. 17.

Ex ordine & situ tonorum, distinctio inter *Tones dures*, mollesque originem trahit: Illos nominamus, qui ita progrediuntur, ut tertia sit major; *Hi* vero, dum per tertiam minorēm procedunt, generantur. Est autem *Tertia major*, quæ ex duobus tonis totis; *minor* vero, quæ ex toto cum dimidio tono componitur.

§. 18.

Quoniam toni, quò magis à tono gravi recessunt, è sunt acutiores, i. e. plures vibrationes eodem tempore factus involvunt (§§. 13.-14.). *Tertiam maiorem minori acutiorum esse* consequitur.

§. 19.

Eaque propter *tonus durus acutior est molli*, ac sèpius proinde cintasque *vibrationes illius, quam bajus, animantur*: sive, quod eodem redit, *sèpius ille, bic vero rariss, eodem tempore recurrit* (§§. 14. 18.).

SCHOL. E. gr. Ratio *Tertie majoris* est 4: 5; *minoris* vero 5: 6. Ita ergo *vibrationes* 9: hæc autem 11, donec uniantur, absolvit (Sch. §. 15.). Quapropter illa 10ies circiter, percipitur, dum hæc non, nisi 8ies, recurrit. Vides itaque, de tonis duris & mollibus ex distantia gravis & acuti judicium ferendum esse.

§. 20.

Quantitas & celeritas tonorum, quos componimus, diversorum *Mensuram* parit: ex modo autem, quo toni harmonici, hac observatâ, debitè connecti semet excipiunt, *Melodia* oritur. Ut ergo illa mihi denotet ordinem, quo toni numero & celeritate determinati, temporis respectu, semet invicem consequuntur, pro unitate ac norma assumptum, juxta quam cæterorum, qui connectuntur, tonorum numerus & celeritas exigi, abscondi, ac determinari debent: hæc autem in *harmonica tonorum*, juxta mensuram assumptam, progressione consistat.

SCHOL.

INAUGURALIS.

23

SCHOL. Ad duplicem vero præcipue ordinem proportionemque in melodia attendas velim. Alius quippe tonorum est ordo, qui gravitatis & acuminis respectu obtinet, quique fundamentum omnis harmoniae constituit (§. 15.); quemadmodum sic novimus, ad consonantias, earumque nexus in omni melodia componenda respiciendum esse. Alius deinde, quæc toni quoad durationem servant, est ordo, quatenus juxta mensuram allumptam pergunt ac connectuntur: qui igitur in successivis præseriat est evidens. Contraria quare & quoniam dissonantiae in melodia persæpe applicentur, suo loco demonstratum dabimus.

§. 21.

Cum vero mensura, in tonis connexis rite observata, quendam in varietate consensum efficiat: illam melodie perfectionem considerare, non est, quod dubitemus. Ex quo simul, quoniam sequentia melodie interita sit affirmanda, hanc obscurè colligimus.

§. 22.

Sic quoque ex hac tenus dictis perspicuum est, Musicas, in genere non esse, nisi ferent tonorum, servata quadam melodiam, debite dispositorum ac coarctorum, ut scopus præfatus obtineri queat.

SCHOL. Quinam versus sit fons, quem indigamus, ac quoniam modo toni, ut eum consequatur, non disponi, quam concredi debent, infra suffici, tibi de musica ex militato agens innotescet.

§. 23.

Nec difficulter intelligis, musicas eleganter et perfectionem, partim ex ipso melodia ac mensura consensa, viri; partim ex fine, in quem tendit, ejusque consecutione dijudicandam esse (§§. 20. 21.).

SCHOL. Per illustrata igitur sunt tonique natura & differentia, ac traditis definitionibus, quas, ad experientiam attenti, consecutus; iam quoque ipsos, quos toni in organo auditus pariter ac in systemate nervoso producunt, effectus, iteraque mirabiles, quas metis expertus, mutationes cum illis esse connexas, præmissis iterum experientiis ac definitiis necessariis, paulo prolixius consideremus, oportet.

SECTIO II.

De

*Soni tonique perceptione, ac mutationibus in
cerebro & mente cum illa connexis,
generalius consideratis.*

§. 24.

*Membranam tympani organi auditus nervosam, tensam & elas-
ticam esse, illamque propterea sono impresso ad cerebrum, ope ner-
vorum, ac spirituum animalium, propagando infervire; partim ex-
perientia, partim legitimo accedente ratiocinio, convincimus.*

SCHOL. I. Tam artificiosa certè, tamque mirifica est auris, quam Crea-
tor sapientissimus ad sonos percipiendos destinavit, structura, ut vix,
ac ne vix quidem, summam Dei bonitatem & sapientiam, in hocce
organo, pariter ac in ceteris rebus creatis, demonstratam, satis admirari
queamus. Utpote, quod omnes Anatomicorum obseruationes sat su-
perque testantur. Qua de re consul. DU VERNEY Tr. de Org.
Aud. SCHELHAMERUS de Aud. VALSALVA de Aure Hum.
Conf. Acta Erud. 1683. p. 301. Cui vero haec, quæ modo indicavimus,
scripta desunt, vid. inter alia DERHAMI Pbyf. L. IV. C. III. NIEU-
WENT. Cosmoth. XIV. III. WOLFII Pbyf. Dogm. T. I. §. 427.
Acutiss. ENGELHARDI Phil. Nat. §. 347. Celeb. BOERHAVII
Inst. Med. §. 547. seq. Cl. du BOIS Diff. de Auditu: qui enodatius
auris structuram exposuerunt. Hisce prænotatis, brevibus jam, quomo-
do sonus percipiatur, indicare, mearum esse partium duco. Quamprin-
imum scilicet sonus, ceu motus aëris tremulus (§. 2.), ad aurem delat-
us, ab aure externa, cuius membrana super cartilaginem elasticam tensa
est & tremula, ac quæ variis monticulis & inæqualitatibus, pro sono re-
flectendo gaudet, colligitur; radii sonori uniti, concham, cuius apertu-
ra elastica est, ingressi, meatum auditorium, itidem membrana elastica
vestitum, perreptant, ipsamque tympani membranam pulsant, & aë-
rem, qui intra tympani cavitatem existit, concutiunt. Dein vero ipse
malleus, qui, ut veccis applicatus, membranam tympani variis modis
tendere, ac tonis recipiendis adaptare potest, ad motum cietur, incu-
demque percutit, qua percussa osiculum orbiculare, ac stapes retro-
sum

sum contra nervulum auditorium, pone in labyrintho & ductibus semicircularibus ad vestibulum fenestræ ovalis & rotundæ situm, urguntur; quo facto, ipsa tympani chorda, tremulis soni, per ingressum labyrinthi & cochleæ corroborati, motibus ad illam delatis, illico percutitur, premitur, movetur, quæ, cum sit ramulus quinti nervorum parvus, ac cum acustico uniat, mox tanquam rerum foris gestarum nuncia, sonum ad sensorium commune desert, illiusque sic perceptio-
nem efficit.

SCHOL. 2. Quod vero spirituum animalium, quos Physici saniores vulgo ad sensationes requirunt, existentiam concernit; eam LEUWENHOEKII, MALPIGHII, WALLISII aliorumque observationes institutæ, quin & ipsa motus muscularum natura, modo legitime ratiocinemur, luce meridiana clarius evincunt. Legi quoque merentur, quæ satis eleganter, more suo, hanc in rem differit Magnus BOERHAVE *Præl. Acad. in prop. Inst. T. III. p. 359.* quibus add. Cel. VERDRIES *Com. de Æquil. Ment. & Corp. p. 37.* aliaque Synt. Phys. Quicquid sit, hæc res adeo videtur esse manifesta, ut vix prolixa indigeat probatione. Inspiciamus quæso stupendam cerebri structuram; quem quæso in finem sapientissimus ipsius artifex tot innumerabiles, tenuissimosque in illo tubulos recondidit? quid tanta, quæ ad cerebrum fertur, sanguinis copia? Sanè, ut subtilissimum, solidissimum, mobilissimumque illud fluidum, roris mitissimi ad instar nervos perreptans, irrigans, fecernatur: cuius beneficio sensationes, ac muscularum motus peragerentur.

§. 25.

Quoniam vero soni origo à vibrationibus corporis sonori percussi, & motu aëris tremulò hinc resultante pendet (§. 2): *nervos, dum à sono afficiuntur, motum quendam tremulum recipere, ipsisque spiritibus animalibus eundem imprimere, ac ad cerebrum propagare, ut soni exinde perceptio oriatur, necessum est (§. præced.).*

SCHOL. Quodsi autem ea, quæ in explicanda motus communicatione observari debent ac solent, principia mechanica in mentem nobis reuocemus, haud immerito ex eo, quod spiritus animales motum receptum ad cerebrum, ac in ipso inchoatum, ad alias rursus corporis partes propagare valent, illos elasticitate præditos esse, colligeremus. Ab hac vero diversa spirituum animalium elasticitate, motu, accumulatione, ipsos quoque nervos ad soni perceptionem efficiendam, aptos reddi eximo.

§. 26.

Pro variis igitur soni intensitate, vel timore acumine, ipsum quoque tremorem nervis spiritibusque animalibus impressum differre, consequitur: ita ut, quo soni sunt intensiores vel remissiores, toni vero acutiores vel graviores, eo cito vividiusque, vel tardius nervi, spiritusque animales, contremiscant ac moveantur (§§. 9. 13. 14. 25.).

§. 27.

Si sonus aeroes, ac, qui in illis moventur, spiritus animales organi auditus rite constituti officiat, ut, tremore in illis excitato, sonus, per impressionem in cerebro factam, sui prodacat ideam materialē: eo ipso quoque momento perceptionem illius in mente oriri, experientia testatur.

SCHOL. Quemadmodum (§. 2.) sonum, ut effectum corporis sonori consideravimus; ita sonus hinc animi sensum s. perceptionem effectus corporis sonori percussi, denotat. Quare, duplēm praeclipe significatiū soni terminum admittere ultra peripicis. Quam vero hic, ad veram soni perceptionem formandam supponimus, aurem rite dispositam, eandem in subsequentibus, ubi de sono percipiendo sermo recurrat, intelligas, velim.

§. 28.

Nec cerebri ergo, nec mentis seu perceptionum status à sono, dum istum percipimus, independens est; (§. 24. seq.).

§. 29.

Mens, soni formans ideam, vibrationes innumerabiles à corpore sonoro perculo auri infictas, percipit. Soni quippe origo innumerabilis, quas percussum corpus sonorum pēragit, vibrationibus debetur (§. 2. 4.). Hos vero motus soni tremulos nervi acustici & spiritus animales, cum ipso imprimitur, ad sensorum communem, ut soni exciatur idea, propagant (§. 25.). Quapropter, mentem, dum sono afficitur, innumerabiles percipere vibrationes, fibrillis organi auditus infictas, sua sponte appetit (conf. Schol. §§. 2. 4. 8. 25.).

§. 30.

Jam vero soni ope motus, fibrillis nerveis ac spiritibus animalibus impressi, percipiuntur (§. 25.). Sed motus nullam, nisi celeri-

celeritatis gradu, varietatem agnoscit; ergo, quod mens à sonis diversis clarius, vel obscurius, fortius, vel debilius afficiatur, ab ipsa motus nervorum & spirituum animalium diversitate derivandum est (§. 26. 27): ita ut, quod vividior, distinctior, celerior, sèpiusque renovatus est, quem soni illis imprimunt, motus, eò clarius eoque vividior fit, que in sensorio communis excitatur, illius idea: Cum, ubi dictorum opposita locum obtinent, idea non, nisi obscurior debiliusque, generetur.

§. 31.

Ex hactenus dictis ergo haud difficulter perspicis, si soni duo pluresque, quorum vires metastabiles sunt inaequales, in fibrillas nervosas simul agent: idem soni, quem magis sonitas, seu qui fortius afficit aures, prevalere. (§§. 20. 27. 29. 30.).

Scol. Sic Ex. gr. lumen stellarum, quamvis interdui eque retina oculi afficiat, ac nocte, non observatur; quia tamen, ab atmosphaera reflexum, illo stellarum lumine multo fortius in retinam agit. Simile quid in colorum, savorum &c. mixtura obtinet. Infra autem insignis hujus §. utilitas, quam in explicandis circa musicam phenomenis praefat, elucescat.

§. 32.

Dum mens nostra tonos percipit, illus, qui nervis acusticis & fluido nervos infliguntur, confusa numerat, eorumque rationem ac proportionem, quamvis confusa, animadvertisit. Tonus non est, nisi sonus cum alio sono, ob determinatum, quem involvit, vibrationum numerum, comparatus (§§. 11. 12.): ex quibus vibrationibus, eodem constanter tempore factis, sonorum ratio, proportio ac differentia emergit (§§. 10. 13. 14.); ob quam toni diversi motum quoque in nervis spiritibusque animalibus diversum, variamque perceptionem, efficiunt (§§. 26. 27). Sed mens nostra, sonos audiens, simul ipsos, qui auri infliguntur, ictus percipit (§. 29). Quare, tonos audiendo, ipsum, ex quibus illi oriuntur, vibrationum, auri inflistarum, numerum, rationem ac proportionem observemus, operet (§. 27.). Cum vero mens nostra huncce ictuum numerum, ac, quam servant, rationem & proportionem, eo, quo tonos percipit, momento in ob-

16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

objeto ipso s. sono distinguere, alterique explicare haud possit; illa non, nisi contusè, hunc ietum numerum, eorumque rationem & proportionem sibi repræsentat.

SCHOL. Ideam tonorum, quam, dum ipsos audimus, formamus, distinctam nec esse, nec esse posse, ex, iis quæ (Schol. §. 3. & 9.) monuimus, sua sponte patescit. Quod enim illi ad mensuram numerosque revocari queant, experimentis ac ratiociniis ritè institutis debetur. (Schol. §. 14). Sit ita vibrationes, quæ durantibus tonis auri infliguntur, ob ingentem, quâ semet consequuntur, celeritatem, à nobis definiri non posse; an exinde sequitur, nullum de ipsa tonorum, acuti gravisque respectu, distantia & extremitatibus formari posse judicium? Certe, quemadmodum illi, qui corporum metiuntur superficiem & magnitudines, ipsam, ex qua istæ emergunt, quamque præsupponunt partium innumerabilium, numero tamen in se finitarum, multitudinem percipiunt; in assignanda vero determinandaque illorum magnitudine ac proportione nullam illius numeri rationem habent: sic & mens nostra, dum variis afficitur tonis, diversos vibrationum, quibus isti generantur, quosque auri infligunt, numeros, dum percipiuntur, inexplicabiles observat, ipsosque tonos, ob reiteratos illarum itus reditusque, finitos, determinatos ac commensurabiles esse cognoscit. Hinc evenit, ut mens, in ipsa variorum tonorum distantia & proportione definienda, hosce, licet inextricabili vibrationum numero constituantur, naturali, quâ Creator Optimus ipsam donavit, magnitudines dimentandi facultate comparet ac emetiatur. Quod fieri judico, quando vibrationum, qui tonos constituunt, numerum unum in altero bis, ter &c. contineri percipimus, definimus: hinc, rationem illorum esse ut 1: 2. 1: 3. &c. cognoscentes, tonorum denominationem instituimus. Revera igitur mens nostra tonorum proportiones eo ferè modo discernit, quo juxta regulas architectonicas, confusè cognitas, de ipsa ædificiorum elegantia, partiumque proportione judicium ferre solet. Vel prout ipsarum imaginum, statuarumve pulchritudinem dijudicat. Observandum tamen, ipsum tonorum proportionem, ob determinatas numero vibrationes sæpius repetitas, menti clarius fisti, ac ab ipsa facilius cognosci, quam illæ linearum proportiones ab oculis discerni possunt. Cæterum hæc, quam §. præf. demonstravimus, mentis facultas tonos, eorumque differentias, clarè percipiendi est, quam Musici, homines *Aureomusica* præditos esse affirmantes, intelligunt. Ipsam vero aurem musicam in aure naturali fundatam esse, ex comp. §. 29. cum §. præf. liquido patet.

§. 33.

Mens ergo plures iectus auri infictos numerat, tonum acutum percipiendo, pauciores autem, dum gravis illam afficit tonus (§§. 14. 25.).

§. 34.

Toni harmonici seu consonantiae in determinata ictuum, eodem tempore factorum, unione proportionata, saepius repetita mentique perceptibili fundantur: Cum dissonantiarum iectus, non, nisi rarissime, vel nunquam, uniantur (§. 15.). Quapropter, mens, consonantias percipiens, vibrationum saepius repetitarum unionem, ordinem & proportionem sibi representet, necesse est; dissonantias autem confusionis, unionis neglectae, biatus notionem excitare perspicis. (§§. 25. 29. 32.).

§. 35.

Quemadmodum iectus saepius uniti semet adjuvant, ad consonantias efficiendas (§. 15.); ita mens consensum in varietate animadvertisit, ipsisque adeo perfectionem tribuit. Dissonantias autem ex opposito, propter dissensum in varietate, seu, quam percipit, ictuum unionem neglectam, non potest non imperfectionem adjudicare. (§. praeced. & §. 32.).

§. 36.

Consonantiae pariter ac dissonantiae relationem quandam ad organum auditus habent. Ut enim sonos tonosque percipiamus auris mirificè fabrefacta nobis data est (§§. 24. seq.); hinc istius quoque beneficio, dum illis afficimur, tonorum differentias ac, quam servant, proportionem observamus (§§. 26. 32. 35.). In qua tonorum differentia cum fundentur consonantiae ac dissonantiae (§§. 15. 34.): sua consequitur sponte, istos organumque auditus quandam intercedere relationem.

§. 37.

Prouti vero toni percipiuntur, quatenus soni sunt certo vibrationum numero determinati (§§. 12. seq. §. 26.): ita &, que de varia sonorum perceptione (§§. 30. 31.) monuimus, ad tonos applicari & posse & debere, constat (§. 26).

§. 38.

Potes ergo, tonum oculum vividius ac clarus mentem afficere tono gravi; unde, si sensus in organum auditus agant, mens illum, præ hoc percipiat, necessum est. Oritur enim tonus acutus ex majori, gravis autem ex minori vibrationum, eodem tempore factarum, numero (§§. 9. 14.); eaque propter ille, plures atri instigens ictus, vividiorem; hic autem ex adverso tardiori nervis spiritibusque animalibus motum imprimat (§. 25. 26.). Sed diversum huncce, qui in istis excitatur, motum clarior obscuriorve sensatio excipit (§. 30. & præced.), querunt illa, si simil locum obtinent, prævalent (§. 31.). Ergo non vividior solam etariorque est, quam tonus acutus, præ gravi, excitat, idea; sed &, si tonus acutus gravisque sensus in organum auditus agant, illius perceptionem prævalere in promptu est.

§. 39.

Quo magis igitur toni ad gravem, vel acutum accedunt, et debitis, vel vividius auris afficitur, evque obscurior, vel clarior est, que in mente generatur, illorum idea.

§. 40.

Tonus durus acutior est tono molli (§. 19.). Quapropter, idem de ipsis ferendum esse judicatum, conficimus.

§. 41.

Porro manifestum est, si toni harmonici graves acutis, & molles vescenciaris duris, mentem eorum differentiam eò percipere vividius, quo majas est ipsorum intervallum, sex quo plures alii toni interjaceant (§. 26. 38. 39.).

SCHOL. Ne vero quis hoc §. in vanum abutatur, sciendum, de tonis musicis vulgo adhiberi solitis, quatenus aure distinguibilis & perceptibiles sunt, sermonem esse. Distantia quippe in infinitum augeri nequit.

§. 42.

Ex hactenus ergo dictis sequitur, pro varia tonorum mixtura ipsam quaque cerebri mentisque statim materi, utpote qui ab illis, dum percipiuntur, independens esse neque (§§. 27. 32. 35 seq.).

SCHOL.

SCHOL. Quanta vero sit illa, quam mens, tonis gravibus & acutis, molliibus & duris, itemque consonantius ac dissonantius, si debitè miscentur, perceptis experitur, mutatio, ac quam mirabiles sint, quos illi saepius producunt, effectus, iamjam enodatius indagandum restat.

SECTIO III.

De

*Mirabilibus, quos musica producit, effectibus
in specie, eorumque ratione.*

§. 43.

Praeter varias facultates, quibus Optimus rerum omnium Crea-
tor nostram exornauit mentem, eam quoque indolem, easque vires
ipsi concessit, ut, organo auditus ritè disposito, sua sponte, licet
nullis, quas ex inflictione bauefasset, regulis imbuto, sensu quedam
naturali sonos ita discriminare queat, ipsaque adso saepissime subja-
ceat, ut, pro varia sonorum ordinative, connexione, varias in-
semes ostiri sensationes, varioisque affectus, non gratos, max vero
ingratos, vividissimè experientur. Eadem quippe mens nostra ad di-
versos, quos percipit, sonos attenta, quosdam eorum esse, quibus
grati, alios vero, quibus ingratis confranger afficitur, reprehendit.
Quo ramea nos absentes fore solet, ut homines diversi eodem, quo
musicam audiunt, tempore diversis ac oppositis daud raro corundem
sonorum sentiant effectus, quid? quod isdem per sepe brumisibus,
diverso tempore, mox huc, mox vero alta tonorum connexio
dispositio placeat, ita, ut eadem musica, in diversis subjectis eadem,
in isdem vero subjectis diverso tempore, gratos ingratosve producat
effectus. Cui mirabili sonorum efficacie ipsa quoque animalia bruta
quamplarima ades subfiant, ut famili modo diversas, pro varia sono-
rum ratione, sensationes in illis generari obseruenus.

SCHOL. 1. Magnam tonis musicis, si rite disponuntur, conjungantur, vim
esse ad varios animi affectus ciendos, misifice augendos, moderan-
dos, sedandosque, non antiqua solum, quaæ vetutes consignavit, mo-
numenta; sed & ipsa quotidiana experientia, non unis vicibus, quam

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

clarissimè testatur. Inter veteres enim Musicos, TIMOTHEUM MILESIUM in modulis musicis tam fuisse præstantem, narrant, ut tonis phrygico-heroicis ALEXANDRUM M. pro lubitu ad arma capienda, aliis vero tonis ad eadem rursus deponenda incitaverit. vid. HERMOGENES Lib. de Ideis. D. CHRYSOSTOMUS Orat. I. de Regno. BASILIUS de leg. gr. Libr. In rem quoque nostram facit notissimum illud ERICI Daniæ Regis exemplum, cuius AGRIPPA, A. KRANTZIUS H. Dan. L. V. C. HI. aliique mentionem faciunt, quem, & omnes, qui aderant, Musicus quidam scite musicam tractans, inusitatæ severitatis concentu edito, tristitia & stupore adeo complevit, ut extra se positi viderentur. Mutata vero dein modulorum ratione, in plausum lætitiamque audientes deflexit, ut & corporis motu gestirent. Acrioribus postremo, quì istos subsequebantur tonos, modis, indignationem moventibus, ad tantum mœroris & amentiae adstantium animos concitavit, ut in furorem, ac rabiem quandam præcipites traherentur. Nec minor tamen est musices efficacia in affectibus ingratissimis componendis animoque tranquillando. Musices enim beneficio seditiones accenfas inhibuit ÆSCLEPIADES, &, cum Sparta seditionibus laboraret, Lacædemonii, oraculi monitu, TERPANDRUM Musicum è Lesbo accessiverunt, qui musicâ suâ ἡρμόνει ἀντῶν φυχάς, καὶ τὴν οἰδίην ἐπανεῖ ipsorum animos delinivit, & seditionem sedarunt, vid. ÆLIANUS V. H. L. XIV. C. XXIII. ATHENÆUS L. XIV. C. V. M. CAPELLA Sat. L. IX. & X. Et PYTHAGORAS, quemadmodum literis proditum est, ferocientes hominum animos, musices ope, mollivit, ac juvenem amore captum, insanienter, ad meliorem mentem revocavit. vid. JAMBlichus de Vita Pyth. C. XXV. p. 93. C. XXXI. p. 162. DAMON ebrios ac petulantes juvenes ad modestiam reduxit; quod ipsis quoque Pythagoreis in more positum fuisse, perhibetur. THEOPHRASTUS, ÆSCLEPIADES, turbatos animi effectus in ordinem redegerunt: vid. CELSUS C. XII. CAPELLA Sat. L. X. Sic in genere Pythagoreis, cum somnum peterent, ad lyram prius suas lenire mentes, ac turbatas componere cogitationes, solitum fuisse, QUINTILIANUS L. IX. C. IV. autor est. De Propheta ELISÆO ipsæ paginae S. 2 Reg. III. 15. docent, quod, cum affectibus exagitaretur Yf. 13, fidicinem advocari jusserit, quopulsante ad oracula fundenda idoneus evaderet. Notatu quoque dignissima est, quæ 1 Sam. XVI. 14—23. de SAULE narratur historia, ipsum videlicet, dum spiritu malo à Jebova inquietus redderetur, saluberrimos musicæ DAVIDIS effectus in mitigandis diris, quibus torquebatur, affectibus expertum fuisse. Horum vero, quæ recensuimus, effectuum rationem ex demonstratis suo loco indagabimus.

SCHOL. 2. Ipsa dein, quod §. *præf.* asserebamus, animalia bruta haud pauca nativa musices vi ac suavitate non unis vicibus demulceri, experientiâ & historiis comprobatum habemus. Elephantos enim tympanis; cygnos autem citharis allici posse, STRABO testis est. conf. AELIANUS *Hist. Anim.* L. XII. C. XLIV. Qui & C. XLVI, apres cervosque musicâ capi, tradit. Præsertim vero cervos & aves fistulis delectari & allici res est satis nota. *Bœvia sepe immanes cantu fluctuantur*: ut TULLIUS ait *Orat. pro Archia P.* Ut jam de usu fistularum tubarumque amplissimo, in convocandis animalium gregibus, & equis ad prælium excitandis, animandis, taceam; quod, cum vel quotidiana experientiâ satis sit notum, ex AELIANO, PLINIO, HELIODORO, aliisque pluribus probare, longum foret. Hæc autem in genere ex historiarum monumentis attulisse, sufficiat, infra enim, quid de his similibusque musices effectibus, v. gr. in hominibus à tarantulâ morsis, ac ipsis quoque morbis quibusdam discutiendis, sit judicandum, constabit.

§. 44.

Quoniam, dum tonis ritè dispositis ac connexis, tam in nobis, quam in aliis, varios animi affectus ciere, illorumque beneficio nostras, quibus afficimur, sensationes aliis rursus exprimere intendimus, musicam exercere dicimur: vides, quod toni varii debitè connexi, dispositi, ad varios, in nobis pariter ac in aliis, affectus excitandos, moderandos, animique motus, quos ipsi met concepimus, aliis significandos destinati, apti, proprie *Musicam* constituant (§§. 22. & *preced.*).

SCHOL. Sic ergo, duce experientia, specialem musices definitionem formavimus, quam supra (§. 22.) non, nisi generaliter, definire licuit. Quæri tamen haud immerito solet, undenam homines hanc musicam exercendi artem didicerint? Non defuisse, qui PYTHAGORAM irrito conamine musices inventorem finxerunt, quasi ex alternis fabrorum iæibus numeros primum observasset, ex JAMBlico *de Vita Pyth.* C. XXVI. videre est. Quam vero absurdâ hæc sit opinio, vel ex eo patet, quod HOMERUS, PYTHAGORA multo antiquior, haud unis vicibus musices fecerit mentionem. HOMERO autem longè vetustior est musica, cum ante diluvium ista jam fuerit cognita: ADAMI enim Trinepos JUBAL, tradente Divino MOSE *Gen. IV.* 21, omnium primus citharæ tibiæque canendi artem invenit. Aves autem, in hac arte discenda, hominum fuisse magistros, ut LUCRETIUS *de Nat. Rer.* T. II. L. V. tradit, non est, quod mihi per-

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

persuadere possem. Quid queso hujuscemodi conjecturis opus est? Non homines, quos variis à Deo facultatibus ad inveniendas artes instructos esse novimus, hujus quoque artis inventores tuius statueres? ita sane mihi videtur. Præter mentem quippe, innumeris obnoxiam sensationibus, benignissimus generis humani Parentis illis insuper organa concessit, quibus bosce animi sensus exprimerent. Hinc factum est, ut, ipsa duce natura, voluptati aliam, aliamque tædio significandis vocem destinaverint; quæ simul atios ad eosdem, quibus demulcebantur torquebantur, affectus sentiendos excitarent, commoverent. Variâ dein, quam sonos intercedere animadvertebant, proportione delectari homines, mox voces suas modulati sunt, ac, ut aliorum animos in se ed desigereat magis, instrumenta excoquarunt, vocibusque, ipsorum sensationum signis, junxerunt. Ea ergo cantus, ea musices originem. Quam varia autem hujus artis fata fuerint, & quoniam habitu illa successively apparuerit, ex historia tam veterum, quam recentiorum temporum constat: vid. qui prolixius ea de re egerunt. VOSSIUS de Quat. Art. C. IV. & de Sc. Math. C. XX. POL. VERGILIUS de Inv. Rer. L. I. C. XIV. p. 43. A. BANNI de Mus. Nat. Orig. & Progr. Diff. Epist. PASCHIUS de Inv. nov-ant. p. 618.

§. 45.

Elegantia igitur & perfectio musices ex consensu tonorum, rite dispositorum, cum fine, seu apta affectuum excitatione ac moderamine, dijudicanda est (§§. 23 & præced.).

§. 46.

Ex aptitudine vero tonorum gratiam ingratavæ sensationem producendi, ipsa, quam illis tribuimus, pulchritudo vel deformitas emergit. Illa igitur in perfectione tonorum (vel vera sit, vel apparet) consistit, quatenus aure percipitur ac delectat: Hec autem opposita sese habet ratione.

§. 47.

Mens pulchritudinem & deformitatem tonorum conformiter systemati nervoso dijudicat: seu, mens bosce tonos, præ aliis, pulchros censet vel deformes, qui, ob determinatam vibrationum coalitionem, cum systemate nervoso consentiant, aut, quod illam negligunt, eidem adversantur. Quod enim toni pulchri judicentur aut deformes, ex perfectione vel imperfectione, auribus perceptibili, ac, quam propterea excitant, grata ingratavæ sensatione derivandam est

est (§§. 32. & præc.). Sed perfectio consensum, imperfectio autem dissensum in varietate arguit (*Met.* §. 89.): toni vero aure percipiuntur, dijudicantur (§§. 29. 32.), ideoque relationem ad illam habent (§. 36.); quapropter ista, quam tonis adjudicamus, perfectio, vel imperfectio, s. pulchritudo, aut deformitas ex ipso quoque illorum cum systemate nervoso consensu, vel dissensu testimetur, oportet (§. 25). Quoniam præterea tonorum natura & ratio à determinato vibrationum, eodem tempore factarum, numero dependet (§§. 13. 15.), ex quarum unione perfectio, ex ejusdem vero neglectu perceptibili, tonorum imperfectio emergit (§§. 17. 25.), ac istius, dum percipiuntur, in mente sensatio producitur (§§. 26. 27); manifestum est, ad pulchritudinem, vel deformitatem tonorum testimandam requiri, ut isti, ob determinatam, quâ gaudent, vibrationum coalitionem vel dissensum, cum cerebro quoque congruant vel eidem adversentur.

Scol. Quemadmodum v. gr. color viridis omnium maxime nobis aridet, quoniam visui nostro potissimum est attemperatus; ita, hi quoque toni cæteris habentur pulchriores, quorum ictus cum ipsa dispositione nervorum organi auditus magis consentiunt. Non enim ad destructionem, sed ad tutelam corporis ejusque conservationem, sensus nobis esse datos, quotidiana docemus experientia. Quid ergo miramur, ex objecta cæteris perfectiora vulgo à nobis dijudicari, quæ, ac ipsa, quibus percipientur, organa sensitiva quædam intercedere proportionem observantur. Quod de ipso quoque tonis dignoscendio valeat existimaverim. Mens ergo (uti ex §. præf. constat) tonos, ut tales, studiendo non facit, sed regulis numerisque fixis illos jam adstrictos esse percipit (§§. 12. seq.). Fator equidem, rationem pulchritudinis ac deformitatis ex sola tonorum proportione, in abstracto considerata, reddi haud posse; in quo Pythagoreos peccasse novimus: nego tamen solo aurium iudicio omnem nitu harmoniam, auribusque rationes tonorum adversari; quod Aristoxeni affectis placuit. Medianæ igitur viant ingressus, ratione pulchritudinis tonorum, partim ex determinato vibrationum numero & unione, partim vero ex ipso illarum consensu cum cerebri strophiæ derivandam esse, arbitrabor. Summam vero Numinis sapientiam pariter ac beatitudinem admisimus, celebramus, quod cerebrum & organum auditus ita construxerit, adaptaverit, ut in universum omnes, qui illis rite constitutis gaudent, unanimi quodam consensu harmoniam tonorum percipere, dijudicare, ac definire queant. Prout si cæteræ

corporis nostri organa ita sunt comparata, ut mortales de sensibus, coloribus v. gr. saporibus &c, eodem modo judicent. Interim, quantam suavitatem tonis conciliet ipsa instrumentorum musicorum construc-
tio, laevigatio, constipatio, elasticitas &c, me non monente perspicis. Tum enim vibrations exactius reflectuntur, uniuntur ac, ut ita dicam, colligescunt, & clariorem unionis proportionisque suæ ideam efficiunt. Quod vero tam diversa saepius de hoc illo, præ ceteris, tono hominum sint judicia, ex aliis oriri causis accidentalibus infra ostendam. Ex iis autem, quæ §. præf. monuimus, ratio restrictionis, in fine §. 15. additæ, patescit.

§. 48.

Regulas ergo dari, juxta quas tonorum proprietates dijudicamus, quasque, ut musica suo potiatur fine, in tonis felicibus, disponendis & connectendis observare tenemur (§§. 44. seq.): ex Principio rat. suff. sponte fluit.

§. 49.

Mens vero nostra, basce, quas modo innuimus, regulas proprias activitate eruens, cognoscens, istas ipsi innatas esse, ipsamque naturali quadam dispositione ad illarum exercitium gaudere, ostendit, comprobat.

§. 50.

Naturalem mentis dispositionem ad exercitium illarum regularum, juxta quas musica dijudicari & institui debet *Temperamentum musicum seu musicam connatam* appello. *Ingenium vero musicum* est facultas musicam fingendi (§. 44).

§. 51.

Quatenus pulchritudinem vel deformitatem tonorum, in musicâ occurrentium, perceptorum dijudicare valemus, eâtenus haud inepte *Gustus* quidam *musicus* nobis tribuitur: quo termino igitur facultatem intelligimus de pulchritudine & deformitate tonorum, conformiter impressionibus in cerebro factis, judicandi (§§. 32. 46. 47.). Habitum vero, solo usu acquisitum, juxta confusam regularum musices connatae cognitionem ipsam musices elegantiam æstimandi (§. 45.), *Musicam naturalem acquisitam* nomino.

SCHOL.

SCHOL. Quemadmodum autem omnibus sine discrimine hominibus eadem auris naturalis dispositio concessa non est, ut nervi acustici tonorum elegantiam & harmoniam accurate in sensorio communi exprimant (*Scbol. §. 32*); ita, gustus musici miram saepe in diversis hominibus esse varietatem, ultro perspicis. Cujus tamen diversitatis ratio infra ex aliis insuper causis reddetur. Interim carpere nolis, quod animæ gustum in tonis discernendis tribuerim; ad similitudinem modo, quæ gustus organum, &c., quem definivimus, gustum musicum intercedit, attendas obsecro; nil sane, quod jure improbare posses, habebis. Has vero, quas dedimus, & seq. definitiones, Musici, terminos istos simpliciter absque data illorum explicacione adhibentes, elicuerunt.

§. 52.

Si mens nostra clarjorem continuò regularum, quibus musica convenienter instituenda est, cognitionem acquirit, ut rationem illarum sufficientem reddere queat, *Scientia musica* nascitur; quæ proinde in distincta regularum, juxta quas musica institui, & dijudicari debet, cognitione consistit (§§. 44. 45.): Ex frequenti autem harum regularum applicatione *Habitus* generatur *musicus*, qui ergo promptitudinem designat, regulis istis distinctè cognitis, dato casu, debitè utendi. *Illam* igitur haud inconcinnè *Musicam artificialem docentem*; *Hunc* vero *Musicam utentem* appellares.

§. 53.

Ex iis ergo, quæ (§§. præc.) dicta sunt, sua sponte consequuntur; I. *Gustum musicum in aure naturali & temperamento musicō fundari* (§§. 25. 29. 32. 46. seq.). II. *Quod quis subtiliori præditus est gustu musicō, et accuratius ipsum de pulchritudine ac deformitate tonorum percepta statuere posse* (§. 51.). III. *Illum scientiā musicā gaudere, qui rationem, quare dato casu ita potius, quam aliter, musica sit tractanda, indicare valet* (§. 52.).

§. 54.

Præter homines, iis quoque animalibus, quæ nativæ musices efficacia sub sunt (§. 43), *gustum musicum competere, in dubium vocari nequit* (§. 51). Quoniam vero bruta sensationibus fortioribus, experientiā suffragante, sunt adstricta; *gustum musicum, quo illa gaudent*

dent animalia, pulchritudine, vel deformitate tonorum vividius affici, facile intelligitur (§§. 47. & prec.).

SCHOL. Deus sanè brutis nostris organa solem mirificè fabrefacta conces-
vit; sed & substantiam, à corpore organico diversam, iis instruit fac-
ultatibus, ut, quamvis diverso claritatis gradu, objecta tamen fibi-
met repræsentare, sentire, imaginari, appetere possint; usque variis af-
fectus ex diversis, quos objecta in illis excitant, spirituum animalium
motibus, sensationibusque gratis, vel ingratiss generentur. Hinc igitur est,
quod bruta tonis his illis, quorum proportiones ac convenientiam cum
cerebro animadvertisunt, delectentur; aut ex adverso ingratiè afficiantur;
quemadmodum ex iis, quæ (Sch. §. 43) adduximus, exemplis vi-
dere est. Illud autem ne quis admittetur, quoniam modo bruta tonorū
proportiones obseruant. Ea enim apud & cerebri illorum struc-
tura est, ut pro varia, quam soni tonique diversi in nervis efficiunt,
impressione, anima illorum ictus, quos auri inflictos sentit, gratos, in-
gratosve censem, prout scilicet nervis tensionem animalibus magis,
minusve tolerabilem induunt (§. 25. & Schol. §§. 26. 29. seq. 47.).
Ipsa vero experientia, quæ, bruta v. gr. florat, imaginum, adficiorū,
colorum pulchritudine delectari, confirmat, fidem facit, illis quardam
connatas esse regulas, juxta quas sensualium differentiam, propor-
tionesque dijudicant. Quidni famili modo de ipsis, dum tonis varie-
semet affici ostendunt, concluderemus?

§. 55.

Cum vero pulchritudo & deformitas tonorum relative ad sy-
stema nervosum dijudicetur (§. 47.): *gutsum musicum ipsam sy-
stematicis nervosi dispositionem sequi*, manifestum est.

§. 56.

Quia voluptas ex perfectionis, tedium vero ex imperfectio-
nis repræsentatione nascitur; & illam, & hoc è majus incremen-
tum capere, quod plures sunt, quas mens animadvertisit, perfectiones,
vel imperfectiones, ac quid vividius & certius istas percipit; idem-
que fieri si imperfectionem superatam cognoscat, aut, perfectione
anissa, imperfectionem sentiat, ipsa experientiā compertum ha-
bemus & exploratum.

SCHOL. Cave tamen, existimes, mentem nostram, iteratā eadē per-
fectionis repræsentatione, majori continuo volvante depletari; illa
enim,

enim, ipsa teste experientia, tedium potius ex diuturno ejusdem perfectionis sensu concipit: cuius ratio est, quod mens, iterata ejusdem perfectionis cognitione, tandem aded exhaustit, ut nulla perfectio nova sensibus cognoscenda relinquatur; hinc sensus defatigati, & varietatem desiderantes, tedium afficiuntur. Est vero insuper proportio voluptatem inter ac ipsum, quo haec generatur, perfectionis sensum; quapropter illa tam durabilis, tamque constans non erit, qua perfectioni haud multo labore cognitae originem debet. Illud ergo sensibus nostris gratissimum videbitur, cuius perfectione nec nimis difficulter, nec nimis facilè percipitur, quia mens conatibus repetitis continuo magis ad cognitionem & fruitionem perfectionis accedit: cum ex adverso, si confusionem illi sentiant, tedium oriri soleat.

§. 57.

Hi ergo toni, præ ceteris, placent, vel displacent, quibus mens nostra plus perfectionis, vel imperfectionis ineffe judicat, qui que viviorem illius, istiusve sensationem producunt.

§. 58.

Consonantie, ut tales, non possunt non gustum musicum gratae afficere; cum dissonantie, quæ tales, ex opposito ingratam efficiant sensationem. Toni enim harmonici, seu consonantiae, unionem vibrationum ac consensum invariate involvunt (§§. 15. 16.), eaque propter perfectionis sensum efficiunt (§. 35): Dissonantias vero dictorum opposita convenient (ibid.). Sed perfectionis sensus voluptatem parit; imperfectione autem percepta tedium generatur (§. 56.). Quare, consonantiae gustum musicum gratae, dissonantiae autem ingratæ eundem afficiant, oportet (§. 51.).

SCHOL. Ipse PYTHAGORAS, qui prima musices principia tradidisse fertur, recte jam observavit, rationem, quare consonantiae gratae nos afficiant, in ipso illarum ratione ac proportione simili esse, licet modum, quo mens, eam percipiendo, voluptate demulceatur ignoraverit, eaque propter nil certi hac de re determinaverit. Vid. JAMBЛИCHUS de Vita Pyth. C. XXVI. Conf. Musici Ver. quos MEIBOMIUS edidit. Ad hunc autem & seqq. §§, quibus de affectuum excitatione agetur, observes velim, tonos suo potiri effectu, quem intendat; si debita sit auris naturalis dispositio, ut gusto musicali tonorum elegantiam, vel deformitatem discernere queamus (Seb. §. 32. & §. 51.), ac, nisi fortior, quæ illum impedit, sensatio in mente sumul praesens sit. (Seb. §. 31.)

§. 59.

Cum vero hæc tonorum perfectio aure percipiatur ac dijudicetur (§§. 29. 32. 36.) prono fluit alveo, *gustum musicum tonos harmonicos seu consonantias, quatenus tales sunt, pro pulchris habere; dissonantias autem, ut tales, deformes censere* (§§. 46. 51.): *Cujus igitur ratio sufficiens in ipsa tonorum natura, comparatè cum systemate nervoso, querenda est* (§§. 47. 55.).

§. 60.

Quodsi mens in consonantiis perceptis, sine ulteriori resolutione, acquiescat, ipsasque pulchras censem, *Consonantiae dicuntur perfectæ; Si vero illæ, in alias gratiore denuò resolvi debeant, ut mens in illis acquiescat, imperfectarum Consonantiarum classe comprehenduntur.*

SCHOL. Sic ex gr. *Ottava*, *Quinta*, *Tertia* mentem, dum percipiuntur, tam gratae afficiunt, ut gustus musicus illis gratiore haud desideret, sed sponte in illis acquiescat. In hac quippe Triade harmonica, numeri 1:2:3:5. (*Schol. §. 14.*) seme adjuvant: ut sic $1+1=2+1=3+2=5$. quorum unus alterum generat; hinc derivandum esse suspicor, quod Trias harmonica tam grata nos afficiat, quodque mens, regrediendo, in unitate demum perficit. *Quarta* vero, *Sexta*, *Septima* tam suaviter mentem non afficiunt, ut gustui musico satisfiat, quin potius resolutionem illarum in perfectiores consonantias exspectemus, desideremus.

§. 61.

Pulchritudo consonantiarum tam perfectarum, quam imperfectarum, et citius equidem percipitur, quod saepius vibrationes istarum uniuntur; ast voluptas, quæ ex ipsis perceptis oritur, tam diuturna non est, mentemque tantoperè haud demulcit, ac illa, quæ ex consensu ictuum, aliquo labore observato, emergit (§. 56. & *Schol.*).

SCHOL. I. Ex hoc §. intelligitur, quare *Ottava* simplex 1:2 tam diu non delectet, ac composita ex gr. dupla, tripla, licet citius percipiatur illius proportio. Dein, cur *Quinta* dupla 1:3. omnibus consonantiis palmam præcipiat; quia scil. medium quasi tenet, illius enim proportio nec nimis facile, nec nimis difficulter detegitur. *Quartam* vero quod attinet, ea non, nisi per accidens, grata fit, quia *Ottavam* & *Quintam*-complectitur, unde suavitatem suam mutuatur; est enim, si numeratorem unius per denominatorem alterius multiplices $\frac{1}{2} \times \frac{3}{2} = \frac{3}{4}$, qua-

quæ proportio Quartæ est. (Sch. §. 14.). In genere autem de cæteris consonantiis imperfectioribus tenendum, suavitatem illarum à proximis, quibus accidunt, consonantiis perfectioribus derivandam esse. Quæ vero causa sit, quare proportio 1: 7, quæ satis aliâs simplex videri possit, cujusque vibrationes citius, quam 1: 8. octavæ triplæ, uniuntur, dissonet, à longa rerum memoria crux fuit musicorum, ac illorum præcipue, qui ex meris numeris abstractè rationem reddere cupiebant. Si meam hac de re sententiam expeteres, rationem hujus dissonantiaæ physico-metaphysicam esse existimarem. Accipe illam. Hæc proportio 1: 7. nec Quintam triplam 1: 6. nec Octavam triplam 1: 8, quas imitatur, assequi valet; sed inter illas ita cadit, ut terminus illius proportionis acutus, Quintam & Octavam triplam inter se confundens, falsæ imitationis, neglectæ consonantiarum illarum assecutionis, confusionis & imperfectionis ideam excitet; quapropter mens, proportionem 1: 7. audiendo, non potest non tædio affici, ac dissonantiaæ formare notionem (§§. 15. 35. 56.).

§. 62.

Voluptas & tædium, quibus mens afficitur, dum consonantias, vel dissonantias percipit, mirum in modum crescit, si distantia gravis & acuti, seu intervallum, justè angetur. Consonantiaæ enim voluptatem, dissonantiaæ vero tædium excitant, quia perfectionem, vel imperfectionem arguunt (§§. 35. 58.); vividius autem mentem afficiunt, si acuti sunt toni (§. 38.), clariusque percipiuntur, si majori, justo tamen, distant intervallo (§§. 32. 37. 41.). Quapropter, cum hoc magis augeatur voluptas, vel tædium, quo vividius mens perfectionem, vel imperfectionem sibi repræsentat (§. 56.); hujus asserti veritas patescit.

§. 63.

Eodemque modo, tonos harmonicos molles ac duros, si debitè miscantur, aucta intervalla, gratiore nobis evadere, palam eit (§§. 37. 40. 41. 56.).

§. 64.

Ipsa quoque mensura in melodiâ observata, band exiguum voluptatis incrementum producit. Mensura enim tonos inter se connectit, eoque ipso perfectionem melodiæ largitur (§§. 20. 21), ac ad musices facit elegantiam (§. 23.); quid? quod toni, mensura

30 DISSE^TRAT^IO PHILOSOPHICA

surā iteratā, distinctius & vividius gustui musicō exhibeantur (§§. 20. 51.). Quare mens nostra, præter tonos harmonicos, ipsam, cui in musicā illi adstringuntur, mensuram observans, non potest non plures sibi repræsentare perfectiones, ac vividiorem sentire voluptatem (§§. 37. 56. 58.).

SCHOL. Duplici voluptate mens nostra, musicam rite institutam percipiens, afficitur; alterā, quæ ex ipsa tonorum pulchritudine emergit, alterā vero, quam in eo consistere deprehendit, quod statis temporibus eandem tonorum mensuram redire, eosque sibi continuatos vividiū sibi, observet. Quæ duo, tonorum scilicet & mensuræ jucunditas, musicam quasi condūnt, ac gustui musicō gratam efficiunt. In illis veluti materia quædam est, iu his vero ejusdem expolitio. Juxta mensuram, ceu regulam, tonos disponimus, ordinamus (§. 20); quid ergo mirum tantam illius, si observetur, in voluptate excitanda vim esse & efficaciam (§. 56). Vividiorem illa nervis pariter ac spiritibus animalibus motum imprimit (§§. 27. 30. 31), inentemque adeo ad voluptatem capiendam ciet quasi & adhortatur. Hinc derivandum esse mihi videtur, quod tympana militaria, in quorum pulsā sola tenetur mensura, gratam haud raro sensationem efficiant. Cum denique, tam ipsi tonorum ratio, quam ordo & celeritas, in musices elaboratione, norma ac mensuræ, quibus dimetitur, subjaceant (§§. 12. 14. 20.), musices elegantiam suavitatemque in ipsis quoque matheseos regulis fundari, patescit (§§. 22. 23.); quicquid Musicis per pluribus, ad confusam, juxta quam vulgo operantur, regularum istarum cognitionem non attendentibus, videatur.

§. 65.

Eæ insuper, præ cæteris, consonantie nobis placent, ac voluptatem augent, quæ gustui musicō nostro magis attemperatae deprehenduntur. Consonantiae enim in genere gratæ, sed eæ imprimis gratiore nobis sunt, quibus mens nostra plus perfectionis iudicat (§§. 57. 58.). Jam vero hi, præ aliis, toni perfectiones ac pulchriores à nobis censentur, qui exactius systemati nervoso sunt attemperati (§§. 25. 47.), gustusque musicus, tonos dijudicando, ipsam systematis nervosi dispositionem sequitur (§. 55.). Quapropter illas, præ cæteris, consonantias nosmet delectare, quæ cum gustu musicō nostro magis consentiunt, manifestum est.

SCHOL.

SCHOL. Quamvis enim ea systematis nervosi dispositio nobis sit concessa, ut veros sanosque conceptus de rebus sensualibus formare queamus; non tamen obstat, quominus, pro varia partium corporis nostri solidarum & fluidarum mixtione, proportione, convenientia, gravitate, elasticitate, crassi, mobilitate &c. in fluidis, ac, quæ ex ipsis emergit, solidarum tensione flexilitate &c. hoc illudve objectum, quod illis magis est attemperatum, gratius, præ aliis, percipiamus. Quæ vero in genere modo differimus, haud difficulter ad sensationes, quas toni efficiunt, applicantur. Interim ex hac, quam inviuimus, varia systematis nervosi constitutione, diversa horum & animalium temperamenta, horumque divisiones originem traxerunt. Vid. qui hac de re specialius egerunt, SPENERUS *Diss. hist. Doctr. de Temp. hom.* STAHLIUS *Diss. de Temp. Incomp.* HOFFMANNUS *Diss. Phys. Mor. Med. de temp. fund. marb. & mar. in gent. Cel.* VERDRIES *de aquil. Ment. & Corp. p. 16. seq. & Phys. P. Spec. C. II.* SENNERTUS *Inst. Med. L. I. C. IV.* aliquique complures.

§. 66.

Fieri ergo potest, ut consonantie, quæ systemati nervoso minus conformes esse percipiuntur, tedium & creent, & saepius repetitæ illud augant: cujus tamen effectus causa sunt non per se, sed per accidens (§§. 30. 37. 47. 55. 58. & præc.)

§. 67.

Quoniam vi legis, quam mens imaginando fervat, perceptio præterita recurrat, si præsens sensatio partem illius in se continet: ratio in protatu est, quare voluptas pariter ac tedium misericid augeantur; sicut tonos in musica denuo recurrere obseruamus, quos ante jam grata, ingratae sensimus. (conf. §. 30. 37.).

SCHOL. Certè, quemadmodum imaginatio, quatenus ab organis sensitivis pendet, in iterata fibrillarum nervearum commotione, à qua cumque demum caussa excitata, consistit, vi cuius esset, quæ antea orbitabantur, sensations recurrent; ita toni quoque, vibrationibus iisdem in organo auditus reproductis, tandem voluptatem idemque tedium, quibus antea, illis perceptis, afficiebatur, in memoriam revocare solent: nisi vel in cerebro quedam contigerit mutatio, vel aliae causæ externæ accéderint, quæ mentem nostram, quominus pristinam voluptatem, tediumve olim perceptum acta sentiat, impeditant. Quod si vero præteriorum illarum sensationum ideæ præsentibus asscentur, non possunt non gratam, vel ingratam sensationem augere (§. 30.).

Ex-

Experientia testis est. Ut ergo ex iis, quæ ad §§. 65. & seq. monuimus, satis constet, *a.* quare Musici peculiarem in componenda musica rationem sequantur. *b.* Cur musica tam diverso apparuerit, & adhucum apud varias gentes conspiciantur, habitu. *c.* Undenam pendeat, quod homines hoc, illove ordine, in musica observato, tantopere delectentur. Interim, quæ Philosophi generatim de hac, quam innuimus, imaginationis lege monent, ad hanc quoqne materiam applies velim. Consulas propterea LOCKIUM de Intel. Hum. L. II. C. XXXIII. p. 455. seq. MALEBRANCHIUM de inquir. Verit. T. I. L. II. C. II. III. WOLFIMUM Psych. Empir. §. 117. Ill. BILFINGERUM Dilucid. S. III. C. II. §. 253. aliorumque scripta metaphysica.

§. 68.

Nec parum ad voluptatem, tediumve augendum confert, si quis vividiori & exercitatiōri gustu musico præditus sit, aut si his, illisve tonis magis sit assuetus; ita, ut ex consuetudine bas, præ ceteris, consonantias suaviores dijudicet. (§§. 30. 53. 65 seq.).

§. 69.

Perpicuum denique est, bāud leve incrementum esse, quod voluptas pariter ac tedium capiunt, si consonantiae perfectiores, ac quæ gustui musico nostro sunt attemperatae; aut, quæ ipsis opponuntur, dissonantiae, excitato instrumentis musicis sono justè intensiori, menti sentiēda exhibentur. Quo enim vividius perfectiones, vel imperfectiones tonorum menti obversantur, eò majori voluptate, aut tēdio hæc afficitur (§§. 56. 57.). Sed consonantiae perfectiores, &c., quæ gustui musico, præ reliquis, attemperatae sunt, perfectionum suarum; dissonantiae vero imperfectionis suæ vividiorem excitant ideam, si sonus ipse, quo menti proponuntur, intensior evadat (§§. 58 seq. 65. 26. 12. 31.). Ergo manifesta est asserti ratio.

SCHOL. Quanta sit voluptas, quam mens ex debita justēque applicatā soni intensioris, aut debilioris, vicissitudine sentit, Musici, experientia magistrā edocti, optime norunt: Cæterum §. pres. eam præcipue soni variationem intelligimus, quam in musica terminis technicis, forte, piano, solo, tutti, exprimere soleimus.

§. 70.

§. 70.

Voluptas autem, quæ ex confusa perfectionis repræsentatione oritur, sensualis est; ex distincta vero illius cognitione rationalis emergit voluptas (*Met. §§. 323. 324.*). Quare in aprico est, illum, qui non, nisi nudo gustu musico, gaudet, voluptatem sensualem ex tonorum elegantia capere: cum alter, qui scientiâ musicâ, insuper pollet, rationalem ex musica bene disposita voluptatem sensiat (*§§. 47. 51. 52. 56.*). De tedium autem ex opposito judicetur.

§. 71.

Cum brutorum animæ in sensationibus & confusa rerum cognitione subsistant (*Met. §. 607. 610. coll. Log. §§. 49. seq.*): voluptas quoque ac tedium, quibus bruta, teste experientiâ, afficiuntur, dum musicam audiunt, sensualia sunt (*§§. 43. 54. præced.*).

§. 72.

Quandoquidem vero bruta fortioribus sensationibus & imaginationi vividiori adstricta esse solent, nec non propterea, quamvis confusè, vividissimè pulchritudinem, vel deformitatem tonorum percipiunt (*§. 47. 54. 55. 67.*): haud multo labore perspicis, voluptatem pariter ac tedium, quæ musices beneficio in brutis excitantur, ad majorem vulgo, quam in nobis, gradum euebi posse.

SCHOL. Pro variâ igitur animalium naturâ, cerebri structurâ, &c., quæ hanc sequuntur, temperamentis, gustu musico, perceptionumque claritate diversis, ipsas quoque sensationes brutorum gratas, vel ingratas, diversum vividitatis suæ gradum admittere, neminem sana ratio & experientia dubitare sinunt (*§§. 25. 30. 37. Schol. §. 54. 55.*). Quod reliquum est, ex hac tenus observatis patet, a. cur animalia quædam his illisve tonis ac cantilenis delectentur (*§. 65.*). b. Quâ ratione *Ursæ v. c.* juxta mensuram, si instruantur, saltare queant (*conf. Schol. §. 64.*). Sed jam de affectibus, quos Musica excitare valet, specialius.

§. 73.

Mentem id imprimis appetere, quod suavius afficit sensus, illudque aversari, quod majus tedium, majoremque molestiam iisdem creat, ad nosmet ipsos attenti docemur. Dein, appetitum sensitivum & aversionem sensitivam ed evadere vehementiores, quod plures

34 DISSESSATIO PHILOSOPHICA

perfectiones, aut imperfectiones (quas seu bona, vel mala nobis representamus,) sensuum ac imaginationis beneficio confusè, sed vivide tamen, percipimus; ita, ut, illis auctis, ipsi quoque spiritus animales, sanguis, & aliæ corporis nostri partes motu extraordinario validissimè commoveantur, eoque ipso generentur affectus, ad experientiam debitè attendentes observamus.

SCHOL. Hanc inconcinnam eorum sententia est, qui unicam radicem, ex qua affectus exsurgunt, auorem sui ipsius esse affirmant. Reversa enim omnes unanimi consensu id desideramus, appetimus, volumus, quod utile est, seu quod statum nostrum perficere posse existimamus: contra vero ea averiamur, abhorremus, fugimus, que noxia nobis esse censemus. Illa igitur voluptatem; hæc vero *tedium* creant. Ad duplicum hanc affectuum classem in sequentibus attendemus. vid. qui pluribus affectuum naturam explicare solent, scriptores metaphysici; cum quibus tamen conferas velim, que LOCKIUS de Int. Hum. L. II. C. XX. CARTESIUS Tract. de Pass. art. 27. seq. Cel. VERDRIES de Æquil. M. & C. p. 111. seq. monuerunt.

§. 74.

Pater ergo, I montem consonantias, ut tales, appetere; dissonantias vero, quæ tales, aversari: & proinde rationem appetitus, vel aversationis, in iisdem illis tonis querendam esse (§§. 35. 58. 59. præcud.). II Consonantias pariter ac dissonantias, ut tales, ad appetitum, vel aversationem magis ciendam tendere, si tonis acutis & duris, quam si gravibus molibusque exprimantur (§§. 37. seq. 56. seq. 73.).

§. 75.

Non autem perfectiores solam consonantie, sed & ea, præ reliquis, appetitum nostrum stimulant, quæ cum gustu musicæ exaltius conseruant, quasque cum voluptate crebrius percepimus (§§. 60. 65. 67.); aut, quibus ex consuetudine gratius affici solemus (§. 68.): In casu autem opposito aversationem augeri, ex collatione §§. citt. intelligis.

§. 76.

Quodsi denique tons, §. præc. commemorat, in musica sono vividori exprimantur, itemque mensura obseruator, appetitus & aversatio nimirum in modum ercent (§. 31. 64. 69.).

SCHOL.

SCHOL. Ut enim musica gustui musico grata fiat, intenſitas quendam ſoni requiritur; planè ac cibi, juſtâ condimentorum proportione obſer-vatâ, palato noltro ſapidiores redduntur. Mens autem, quod obſervan-dum, tonos, quibus voluptate, aut tedium afficitur, ceu bona, malave ſenſualia fibi repræſentat: vel verè talia ſint, vel apparentia. Hinc ex-ego appetitus, aut aversatio, & originem capiunt & incrementum.

§. 77.

Ipſe vero appetitus ſenſitivus ac aversatio ſenſitiva, quaꝝ muſicos beneficio in bruis excitari poſſunt, noſtris longè fortiores eſſe ſolent. (§§. 43. 72. ſeq.).

§. 78.

Quemadmodum toni varii diuersum spiritibus animalibus mo-tum imprimunt (§§. 25. ſeq.), eaque propter variarum in nobis ſensationum gratarum, vel ingratarum cauſas exiſtunt (§§. 28. 34. ſeq. 42. 47. 58. ſeq.) ipiſumque appetitum & aversationem ſenſualem variè stimulant, augent (§§. 74. ſeq.): ita, non va-rios tantum affectus, quos in nobis aliisque, muſica auditis, ori-cernimus, producunt (§. 73.); Sed &, rationem illorum ſufficien-tem ex iþis tonis reddi & poſſe & debere, palam eſt. (§. 74.).

SCHOL. Ut vero modum, quo muſica tam mirabilium effectuum cauſa eſt, ed ſcrutemur felicius, tonos muſicos, partim ut cauſas illorum efficienes; partim vero ceu occaſionales in posterum coniideraffe juva-bit.

§. 79.

Toni harmonici ſ. conſonantiae, ut tales, in genere, imprimis au-tem perfectae, gratis: diſſonantiae vero ingratis in mente affectibus excitandis inſerviunt. Affectus enim grati ex voluptate; ingrati autem ex tedium naſcuntur (*Met.* §. 331.). Sed conſonantiae, quā tales, ac perfectiores præ cæteris voluptatem & excitant & au-gent (§§. 56. 58. 60.): cum diſſonantiae ex adverſa tedium ef-ficiant (§§. cit.). Quapropter illæ, ut tales, gratos: huc vero ingratos producunt affectus (§. 73.).

§. 80.

Praecipue vero toni harmonici acuti & duri, ut tales, ad vivi-diores affectus gratos excitandos, præ gravibus mollibusque tonis,

sunt apti. Quo enim vividius mens nostra perfectiones tonorum cognoscit, eò affectus grati, qui exinde nascuntur, vividiores esse solent (§§. 56. 73). Sed toni harmonici acuti & duri non vividius solum spiritus animales afficiunt (§§. 38. 40.); verum & menti, præ gravibus molibusque tonis, clariorem perfectionis suæ ideam imprimunt (*ibid.* & §§. 58. 35.). Quo ipso, & voluptas, &, qui exinde oriuntur, affectus grati prævaleant, ac vividius percipiantur, oportet (§§. 37. 42. 56. 74.).

SCHOL. Hi enim toni harmonici acuti & duri, ut tales, ordine, mensura, & venustate suâ, nervis & spiritibus animalibus blandum imprimit motum (§§. 15. 34. seq.), mentemque, ceu bona sensualia jucunda, appetibilia, vividius demulcent, alliciunt, stimulant, ita ut, appetitu fortiori generato, ipsi denique affectus grati orientur. Quodsi vero in mentem tibi revocaveris, chordam tympani auris, (quam à sono tonisque moveri, affici, supra (*Sch. §. 24.*) indicavimus,) testibus Anatomicorum observationibus, cum nervo acustico uniri, ac ramulum esse quinti nervorum paris, quod ad oculos, nasum, palatum, linguam, dentes, pectoris partes, ventrem, & pedes expanditur: non solum affectuum, & mutationum, quas in corpore nostro cum illis connexas esse novimus, rationem aliquo saltem modo perspicere licet; sed &, quoniam modo toni mirabilium suorum, quos experimur, effectuum caussæ sint, è longinquo quasi detegere mihi videor.

§. 81.

Ex adverso autem, eas, *præ ceteris*, dissonantias tædii prædominum, s. affectus ingratos efficere, quæ tonis vividioribus acutis & duris in musicâ exprimuntur, haud difficulter animadvertis (§§. 35. 56. 58. 73.).

SCHOL. Dum enim dissonantiaz, vividius perceptæ, confusione ac deformitate suâ, inordinatum, ingratumque motum in fluido nervo excitant, ipsa mens, illas ceu mala sensualia considerando, (§§. 35. 39.) non potest non ex illarum perceptione tædio affici, ex quo & averatio, & ingratia nascuntur affectus. Huc autem ea, quæ ad *fis. Sch. præmonivimus*, referas velim.

§. 82.

Affectus præterea gratos, ingratosve mirum quoque in modum intendi posse, vel remitti, si mensura in musicâ observanda exactè observetur, aut negligatur (64): itemque, si toni, qui appetitum vel aver-

aversationem augent, & qui, suadente id musices indeole, vividius, debiliusve percipi debent, sono intensiori, debiliorive exprimantur; ex iis, quæ (§§. 69. 73. 76.) monuimus, quam clarissimè colligimus.

§. 83.

Interim vero tam consonantiae perfectiores, quam & imprimis, que gustui musico exactius attemperate sunt, & quas gradè sepius percepimus, vel quibus ex consuetudine cum voluptate afficimur, si in musicâ prævaleant, affectibus pergratis, in casu autem opposito, ingratis, & vividioribus quoque, excitandis inserviunt. Etenim, hisce positis, mens nostra non plura solùm bona, vel mala sensualia, sed & vividius percipit (§§. 57. 60. 65 seq.); quibus appetitus, vel aversatio nostra stimulantur, & augmentur (§. 75). Ergo, qui exinde nascuntur, affectus grati, aut ingrati, vividiiores sint oportet (§. 73.).

§. 84.

Manifestum inde est, tonos harmonicos acutos & duros, si creibius in musicâ recurrent, in iis excitare prædominium voluptatis, qui vividioris ac bilioris sunt temperamenti: cum econtrario, tonis harmonicis gravibus mollibusque perceptis, in iis gratioriantur affectus, quibus mollius est temperamentum, quique minus vividè afficiant. Ea quidem in genere tonorum harmoniorum acutorum & durorum, præ gravibus mollibusque, indoles est, ut illi, vividiorum perfectionis suæ ideam menti imprimentes (§§. 35. 38. 40.), gravioribus quoque affectibus generandis inserviant (§. 80.). Ast, cum ad gratos affectus præterea requiratur, ut toni systemati nervoso &c., qui istud sequitur, gustui musico sint conformes (§§. 75. 83.): sua consequitur sponte, tonos harmonicos acutos & duros in iis demum suo potiri effectu, qui vividius affici cipiunt; eos autem, tonis harmonicis gravibus mollibusque perceptis, gratiiores sentire affectus, quibus minor temperamenti vivacitas est.

§. 85.

Sic quoque patet, musicam, que tonos ejuscemodi complectitur, qui sonos seu voces, quales nos, dum gratae, ingratievee afficimur, edere

solemus, imitantur, ad ipsos affectus gratos, vel ingratos eosdem excitando & augendos aptam esse. Toni quippe gratos, vel ingratos affectus mirificè augent, si voluptatem, aut tedium, quibus antea, iis perceptis, afficiemur, in mentem revocent (§§. 67. 83.). Jam vero soni s. voces, quas, dum gratos, vel ingratos affectus experimur, edimus, signa sunt istorum affectuum: Quapropter, si musica illos imitetur sonos, mens nostra non potest non, illis perceptis, eosdem, quos antea sentiebat, affectus denuò experiri.

SCHOL. Vocis, quam inarticulatam hic intelligimus, magnam & stupendam spē vim esse & efficaciam; quā aliorum, qui illam percipiunt, suentes afficiuntur, percelluntur, quotidiana loquitur experientia. Hinc certe est, quod naturali quedam instinctu, pro diverso, quem sentimus, quemque in aliis excitare cupimus, voluptatis pariter ac tedium gradu indicando, ipsam quoque vocem nostram mox intendamus, vel remittamus, mox acceleremus, vel retardemus, mox denique extollamus, vel deprimamus, ac in genere variè temperemus (Schol. §. 44.). Omnis enim motus animi, quemadmodum Pater eloquentie differit, suā quendam à natura habet vultum, & sonum, & gestum: secundum corpus hominis, & oīus omnis vultus, omnesque voces, ut nō in fidibus, ita suauitate, ut à motu animi quoque sunt pulsæ, de Orat. L. III. Opp. p. m. 290. Quæ vero de vocibus sonisque generatim dirimus, eò magis ad tonos musicos applicari & possunt & debent, quod notius est, singulis affectibus exprimendis speciales quosdam sonos & tonos in musicâ destinatos esse: quod ex Cantatis, Recitativis &c. manifestissime patet. Ut ergo nobis mirum vix debeat videri, ejusmodi sonos tonosque, si in musica occurrant, & percipiuntur, pristinos, quos antea sentiebamus, ac quos illi indicant, affectus in mentem nobis revocare, eosque, dum pristinam voluptatem, vel tedium antea perceptum, cum præsenti conjugunt, mirificè intendere posse. Quemadmodum enim mendicus ille, qui blanda & iniferiam exprimente voce eleemosynam à nobis postulat, eam multò impetrat facilius, ac si vultu severo, voce aspera, irata potius, & imperante, quam supplicanti simili, eandem à nobis exigeret: ita musica quoque, si vocem blandam, ac illi, quā aliquid petere ab aliis solemus, haud dissimilem imitetur, voluptatem efficit, nec non fœcunda perspè alienorum insuper affectuum gratissimorum mater est, ac origo.

§. 86.

Quoniam vero soni articulati, seu verba, signa sunt cogitationum & affectuum nostrorum: quam ingens sit, quod produci potest, voluptatis, vel tædii prædominium, si verbis, affectum nostrorum interpretibus, soni tonique jungantur apti: ex hactenus dictis, vel ipsa suffragante experientia, luculenter constat. (§§. 67. 69. & præced.).

SCHOL. Hic autem varia sunt, quæ ad hosce animi affectus generandos augendosque concurrunt: soni videlicet, toni, vox humana, & ipsa denique verba, quæ totidem quasi motiva sunt ac incitamenta, quibus animus noster ad appetendum, vel aversandum movetur (§§. 75. 76.). Multum vero interest, ut musica, verbis applicata, ipsam naturam affectuum, & verborum significatum incoacte imitetur. *Nil enim*, ut TULLIUS sit, tam cognatum est mentibus nostris, quam numeri atque voces; quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & languescimus, & ad hilaritatem & ad tristitiam sape deducimur. *I.* Sch. præc. cit. p. 287. Hæc ergo, si cum iis, quæ ad §. præc. monuimus, conferantur, haud oblicure, ut puto, offendunt, unde infabilis illa vis, quæ carminibus & cantibus inest, derivanda sit. Poësis enim, numeris ac mensuræ adstricta, musices, quæ omnium innata est mentibus, species quædam est ac filia. Hinc certè est, aut ego fallor, quod illa omni ferè ævo tanti ab hominibus habita fuerit, & tam diligenter exculta (Sch. §. 44.). Lectu vero dignissima sunt, quæ de modo poëmata canendi VOSSIUS in elegansissimo libro *de Poëm. Cantu & viribus Ryth. Oxoia.* 1673. impresso uberioris differit: quibuscum ea conferas velim, quæ Cel. GOTTSCHEDIUS in pulcherissimo libro cui tit. *Critische Dichtk.* C. I. §. 4. seq. exhibet. Ceterum ex iis, quæ hactenus dicta sunt, constat, & quare voci humanae locis haud ultimus in musical competat. *E.* Qui fiat, ut cantilenæ quædam tam varios exciteant, augeantque affectus. *y.* Si preces nostras tonis musicis jungamus, Deumque laudibus celebremus, rectè cum B. LUTHERO, Epist. ad SENFELIUM Musicum, affirmari posse, arte musicali, post Theologiam, non esse nobiliorem.

§. 87.

Vides ergo, insigne voluptatis prædominium ariri, si toni harmonici graves cum acutis, duri cum molibus, ordine, mensura, & soni vocifacundia observatis, debilitè connectantur, miscantur, menteisque vivide afficiant: præsertim vero, si it toni sapientia occurrant, qui

vel

40 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

vel gustui musicō sunt attemperati, vel quos antea cum voluptate sensimus. Eo enim in casu plura sunt bona, quae mens, gustu musicō prædita, vivide percipit (§§. 38. seq. 58. 35. 64. seq.). Quapropter voluptas non potest non prædominari (§§. 73. seq. 80. 82.).

SCHOL. In hac autem, quam §. *præf.* innuimus, artificiali tonorum harmoniâ duo præsertim occurunt, quæ mentem nostram tantâ voluptate permulcent, toni scil., & apta illorum dispositio. Ad hanc autem, mixtum, temperaturam, compositionem, mensuram tonorum imprimis refero; quæ pro diverso, quem sentimus, quemque exprimere, ac in aliis excitare cupimus, affectu differunt, & certis adstricta sunt regulis, quarum usum & applicationem *musica practica* docet. Quamvis autem, quod persæpe fieri solet, mens nostra hasce regulas, eo, quo musicam audit, tempore non, nisi confusè, cognoscat, nil tamen impedit, quominus gratissimi in illâ produci queant affectus. Artis enim est hasce regulas annotare; sed aures ipse, dum musicâ afficiuntur, tacito ac naturali quodam sensu regulas istas sine arte definiunt (§§. 49. seq. Schol. §. 32.). Hinc igitur est, quod, bona ista sensualia percipliendo, inveniendo, extricando, tam mirabilem voluptatem, tamque gratos experiamur affectus (§§. 56. & Schol. §. 73. & Schol.). Per autem multa sunt, quæ, ut §. *præf.* evincit, ad affectus generandos, dum musicam audimus, concurrunt; quorum dici vix potest quanta sit vis in corpus pariter ac in mentem: quemadmodum perplures, quos supra (Schol. §. 43.) enarravimus, effectus sanè mirabiles arguunt. Revera enim toni musici, si ritè disponantur, ut blandum in systemate nervoso & sanguine motum efficiant, ac per corpus dispergant, ipsam mentem mirâ quadam voluptate perfundunt, alliciunt, acumen intellectus intendunt, dirigunt, ac mentem à variis cogitationibus & affectibus pravis avocant, eosque cohibent, sedant, animumque concitatum tranquillant, & affectus sobrios excitant (§§. 56. seq. 73. seq. 80. seq. & Schol.). Quid ergo mirum, si, ut supra l. cit. ostensum est, testimonia non una exhibeantur, præstantiores. Veterum Musicos affectus tamen varios produxisse, iram mitigasse, animos ad somnum melius capiendum præparasse &c. ipsumque ELISÆUM, oracula receptarum, musicen tanti fecisse, ut animum concitatum pacare, torpenter ad res magnas excitare, ac piâ voluptate demulcere voluerit, ne quid in mente esset, quod operationibus Sp. S. resisteret? Nec aliam ego caussam allegaverim, cur musica inter exercitationes Ebraeorum, quibus ad sapientiam divinorem se præparabant, relata, & à Christianis in ecclesiam introducta fuerit.

§. 88.

Mirum ex adverso, quod tardum capit, incrementum, & prædominium est, si opposita eorum, quæ §. præc. adduximus, in musicâ prævalere deprehendimus. (§§. 35. 58. seqq. 66. 73. 81. seq. & Schol.).

§. 89.

Quodsi plures diffontantiae tonis harmonicis ita misceantur, ut mens nostra illas vividius, hos vero debilius, percipiat; itemque, si neglectis & interruptis persæpè ordine, ac mensurâ, toni, quos integrè sentimus, accumulentur, tonisque nobis gratis ita prævaleant, ut eorum vires defruant, musica iram generare potest. Tam enim diffontantiae, quam toni nobis ingrati, ut & ordo mensurae que neglecta imperfectionis excitant ideam, & aversionem augent (§§. 74. 75.); ob soni vero intensioris vicissitudinem, ordinis interruptionem, ac inordinatam mensuram ipsis quoque spiritibus animalibus inordinatus imprimitur motus (§. 25. seq.). Unde mens, plura mala sibi inferri vivide sentiens, non potest non ingens tardii prædominium, s. tristitiam experiri (§. præc.), quæ, ex modo dictis enata cauiss, iram constituit (Met. §. 339.). Quare, musicam cā, quam §. præf. innuimus, ratione iram producere posse, palam est.

SCHOL. Ipsa quippe harmonia, quā antea demulcebamus, & suaves, quos percepimus, toni perire videntur; ut adeo mens in malis sensuilibus, quibus obruitur quasi, aberrans, & expectatis frustrata bonis, ingratissimos, quos tum sentit, affectus evitare vix queat (Sch. §. 81). Illud vero, quod in ira conspicī solet, odiū, quo tonos, qui nobis displicant (§. 46.), prosequimur, motu inordinato, in spiritibus animalibus excitato, in memoriam revocatur & augetur (§. 67.), quo fit, ut ira demum exardescamus. In hac ergo, quam §. præf. explicuimus, tonorum dispositione, mirabile illud, musices ope, iram provocandi artificium, quod de Musicis quibusdam tantopere celebratur. (Sch. §. 43), fundari, persuasum mihi habeo.

§. 90.

Non minor quoque, tam in irâ mitigandâ, quam in aliis etiam affectibus ingratis coercendis, sed andisque, musicæ vis est, si ea, quæ F (§. 87)

42 DISSE

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

(§. 87) monuimus obtinent, aut si quis, quæ iram generare posse (§. præc.) evicimus, sublatis, melodia in suaviorem ita mutatur, ut toni, qui gratos excitare possunt affectus (§. 79. seq.), prævaleant. Tum enim, vel pluribus bonis, quæ blandum in fluido nerveo motum excitant, mentem alliciunt, voluptatem & gratos affectus producunt, demulcemur (§§. 81. & §§. ibid. citt.), vel, mens nostra ex tædio emergens, voluptate denuò afficitur (§§. 56. seq.) quæ, prævalentibus tonis gratis, vividior evadit, & affectuum gratorum prædominantium fœcunda mater est (§§. 73. seq.). Ut igitur in utroque casu ira leniri, & alii affectus ingrati compesci queant.

SCHOL. Tam profana certè, quam sacra potissimum Historia non unum hujus artificii notavit exemplum: uti (Sch. §. 43.) observavimus. Sed, missis reliquis, quas de SAULE perhibentur (Sch. cit.), disquiramus oportet. Non desunt, qui per *spiritum malum* (quo Rex cruciabatur) ipsum diabolum intelligunt, qui SAULEM diris phantasmatibus & suggestionibus perturbans ad furorem & deliria excitaverit; uti ex Doct. PFEIFFERI Opp. Phil. p. m. 198. constat. Quæ vero ratione Diabolus, qui *jejunio & oratione* pellendus est, Matthe. XVII. 21. infici mitescat, ac profligari queat, res est explicatu difficillima. Inquiunt illi, qui à Damone effectum repetunt, ipsum non malefices vi; sed precum & piarum cantionum (quas DAVIDEM super citharam cecinisse supponunt magis, quam probant,) efficaciâ pulsum fuisse. At texsus ipse huic Virtutum Doctorum sententia obstat; Servi enim s. Medicorum rego adstantes, de materia cantus parum solliciti, non Sacerdotem, vel Prophetam, qui preces funderet, sed Musicum (*μουσικὸν*), qui Regem arte sua recrearet, ac ingratos compesceret affectus, desiderarant. ¶ 16. Ex inquit figitur, (quam SAULIS Medicis probè noverant), malefices efficacia, hactenus explicata, hujus quoque effectus ratione reddamus oportet. In antecessum vero vel obiter notemus, per Spiritum Iebovæ, qui à SAULE recepsit ¶ 14, dona sapientie, consilii, fortitudinis, ipsi concessa i Sam. X. 10. C. XI. 6. XX. 22. intelligi debere; quæ, cum in DAVIDEM, futurum Israëlis Regem, collata fuerint ¶ 13. C. XVI., à SAULE recepsisse dicuntur ¶ 14., qui proinde, ob instantem regni amissionem, mox à Deo desertus, contristatus & perterritus conspiciebatur. Hæc ergo continua mali representatione tristitiam, &, quæ exinde ori solet, melancholiæ peperit, quam h. l., ex oppositione spiritus boni, per spiritum malum designari judico; prout sic vocab. y' Gen. XL. 7. Neb. II. 1.

II. 1. tristem significat, ac spiritus nomen non una vice pro ipso effectu & mentis affectibus, Num. V. 14. Ies. XI. 2. Cap. XXIX. 10. Luc. XIII. 11. 2 Tim. I. 7. positum legimus. Hanc igitur SAULIS melancholiā & furorem, pertissimum in arte musica DAVID, tempore soni blandimento & melica suavique tonorum harmonia lenivit, fugavit, dum spiritus animales & sanguinem, excitato in illis, ope musices, motu ordinato, tranquillo, pristinæ ac latiori fluiditati restituit, quibus omnibus Rex melancholicus, ceu totidem bonis sensuibus, demulcebatur, consolabatur (§§. 35. 58. seq., 79. seq.), quæ animi consolatio perspirationem, & sanguinis circulationem, libiores reddebat, ac ipsam denique melancholiā discutiebat. (Scb. §. 81.). Hinc est, quod, SAULEM latius respirasse, legamus yf. 23; ipia vero peccatis dilatatio & latitia apud Hebreos pari passu ambulant. Ps. CXIX. 32.

§. 91.

Quamvis autem, quod ex hactenus dictis colligi potest, dissonantiae ingratos efficere soleant affectus, tantum tamen abeat, ut ea, si consonantias interdum ritò misceantur, voluptatem minuant, quin potius, si in consonantias debito resolvantur, affectus gratos mixtificare augent. Dum enim dissonantiae miscentur consonantias, ac in easdem resolvuntur, vividior est, in qua mens subsistit, perfectionis idea (§§. 15. 35. 37.), & voluptas prævalet (§. 56.). Hinc, eo in casu affectus gratos augeri, necessarium est (§. 73. seq.).

SCHOL. Nil certè menti nostræ tam naturale est, quam eleganti rerum varietate delectari, in quo ratione sitam esse judico, quod plures consonantiae, ex gr. Quinta, Octava, si accumulentur, naufragium ercent potius, quam voluptate permulcent (Schol. §. 56.). Quare, ut gratior nobis evadat musica, utque consonantia præstantiores vividius menti sificantur, ipsis dissonantias interdum, pro ratione affectus excitandi, præmitteamus, oportet, quo artificio, quantopere affectus cieri queant, apud Musicos in confessu est. Tales enim dissonantiae fulguris tonitruque ad instar, quamvis terreat, largam tamen, si præterierint, voluptatis messem efficiunt.

§. 92.

Pari modo, de mixtura tonorum, quorum vim in affectibus ingratis augendis (§§. 65. seq. 75. 83. 85.) demonstravimus, concludendum esse, liquet.

§. 93.

Sic quoque, licet interruptio mensuræ observandæ tedium pariat, ut supra evicitus, mirum tamen in modum grati augentur affectus, si mensura, in musica observanda, ad tempus ita suspendatur, ut, factis per alios tonos digressione, & debitâ, quæ consonantiis miscentur, dissonantiarum resolutione, ad harmoniam, quæ sequi debuisset, quamque mens exspectat, vividius percipiendam aditus muniatur. Primo equidem obtutu mensura, quæ observari debuisset, negligēta tedium efficit (§§. 64. 82. 89.). Sed artificialis hæc, quam §. præf. innuimus, digressio defectum compensat, mentemque voluptate permulcat (§§. 58. 91.), dum attentionem scil. ac desiderium inveniendæ harmoniæ exspectatae auget, quâ inventâ desiderium expletur; quæ causa est, quod mens eo in casu tam mirabile voluptatis prædominium experiatur (§§. 56. 73.).

SCHOL. Nos enim, ut judico, vi temperamenti & gustus musici præsertim exercitati, (§§. 50. 51. 53.) avide tonorum dispersorum ac interruptorum collectionem & nexum, dissonantiarum vero resolutionem exspectamus. Animis autem attentis tonos rursus collectos, conexosque, ac dissonantias, in consonantias suaviores debitè resolutas, ceu totidem quasi bona sensualia, admirantes excipimus, quo fit, ut mirabilis illa, quâ tum demulcemur, voluptas generetur (Scb. §§. 56. 60. 64.).

§. 94.

Hec autem artificialis extravagatio, & toni, quos ingratè percipere solemus, eo, quo (§§. 91. 92. & præc.) diximus, modo affectum gratorum, quibus excitandis inserviunt, causæ non sunt, nisi accidentales, & ad elegantiam musices faciunt (§. 45.), non quidem per se, sed per accidens. (§§. 46. 58. 80. seq.).

§. 95.

Ipsos denique affectus, quos musica producit, quam maximè compostos esse, ac mixtos, ea, quæ hucusque de illorum origine disseruimus, non tam arguunt, quam apertissime demonstrant (§§. 88. seq.).

§. 96.

§. 96.

Quemadmodum ille, qui, præter gustum musicum, scientiam musicam pollet, exactius elegantiam mulices dijudicare potest, (§. 53.) ac rationalem ex illâ capit voluptatem (§. 70.): ita manifestum est, *musicam in illo affectus*, ob clariorem plurium perfectionum repræsentationem (§. 52.), *vividiores equidem, sed rationales tamen excitare* (§§. 56. 73.).

§. 97.

Affectus autem, quos in bruis musica producit, non sensuales solum, sed & vividores sunt. Tam enim voluptas, quam tedium, quibus bruta, musicam percepta, afficiuntur, sensualia sunt (§. 71.), ac ad majorem evehi possunt gradum (§. 72.), ita, ut appetitus, & aversatio sensuales pariter ac fortiores exinde nascantur (§. 77.). Quare, idem de affectibus illorum, qui ex appetitu & aversatione originem trahunt (§. 73.), statuendum esse, dubitari nequit.

SCHOL. Eam quippe musicam aures animalium in deliciis potissimum habere solent, quam cum systemate nervoso, temperamento, gustu musicali, consentire, blandumque propterea motum in fluido nerveo excitare animadvertunt (Sch. §§. 43. 54. 65. 72.): hinc ex bonis hisce sensualibus, vivide perceptis, non possunt non vividiores generari affectus grati, cum toni, quorum opposita est ratio, tædii predominium efficiant (Sch. §§. 73. seq.). Quod & ex Schol. §§. 54. & 72. patet.

§. 98.

Musicam quoque, pro variis, quos excitare & augere valet, affectibus gratis, tam sanitati prodefesse, quam morbis quibusdam menderi posse, ex iis, que bucusque differimus, baut multo labore conficitur. Toni quippe musici suavitatis & pulchritudinis suæ ideam excitantes, non spiritibus animalibus solum vividiorem, ordinatum, blandumque motum imprimunt (§§. 26. 38. 47. 55.); sed & illis eapropter, mentem gratis permulgendi affectibus, mira quædam inept efficacia (§§. 58. seq. 79. seq.). Dum vero spiritus animales placide, æquabiliter, ordinatè vivideque moventur, impelluntur, ac mens voluptate perfunditur, hanc continuare

46 DISSESTITO PHILOSOPHICA

blandum fluidi nervi motum, & per cæteros insuper nervos, ob arctissimum corporis mentisque vinculum, diffundere (§. 73.), cor & alias corporis partes ad functiones lætè, facile ac constanter exercendas aptiora reddere, eoque ipso, corporis & mentis vigorem conservando, sanitatem promovere ac morbis per pluribus mederi, experientia comprobat. Ut ergo vis medica, quam musicæ tribuimus, apprimè sit conspicua.

SCHOL. Persæpe, fateor, affectus vehementiores causæ sunt morborum, ac interdum, quo minus iidem sanari queant, impediunt; hoc tamen non obstante affectus tam sunt potentes, ut non unis vicibus morbis felicissimè medeantur. Quod iis in casibus imprimis compici solet, dum mens nostra gratâ jucundi perceptione delectatur, corpus labefactum erigit, corroborat, inordinatum fluidorum corporis motum fissit, porulos & venulas aperiendo, dilatando, humores solvit, particulas noxias expellit, ac valetudinem adversam profigat. Conf. quæ (Schol. §. 80. fin.). monuimus. *Lætitia enim, ut SANCTORIUS Med. Stat. S. VII. Apb. 48.* inquit, diastrolen & systolen reddit faciliores, & nil magis liberam reddit perspirationem, quam consolatio animi. l. c. Apb. 6. sic consolatio, quacunque de causa fiat, aperit meatus & largam facit perspirationem; l. cit. Apb. 19. Ita, ut consolatio animi ipsam melancholiam superet Apb. 17: dum scil. ed, quod paulo ante diximus, modo cruditates, acrimonie, particulæ noxiæ tolluntur, expelluntur. Hæc cum ita sint, quænam quæsto vetaret ratio musicæ, quæ mentem recreat, ac mira voluptate perfundit, similiter vim quandam medicam adscribere? cum vel ipsa tam veterum, quam recentiorum temporum monumenta fidem faciant, musicam non unis vicibus morbis suisse auxiliatam, ut à GALENO L. I. de Sanit. tuenda Cap. XI. ATHENÆO L. XIV. APOLLONIO Mirab. C. XLVIII. GELLIUS L. IV. C. III. aliusque prodiut est. Illustrum MARTIANI CAPELLÆ locum buc attulisse sufficiat, qui sic musicen loquentem inducit: *Quid? afflictionibus corporis nonne affida meditatione succurri? Febreis curabant, vulneraque veteres canzione. Asclepiades item tuba surdissimis medebatur. Ischiadas quis mesciat expelli anticâ (auditi tibiali) sauvitato? Xenocrates organicois modulis lymphaticos liberabat. Thalesem Cretensem eisbare suavitate compertum est morbos, ac pestilentiam fugavisse. Herophilus agerum venas rhytmorum collatione pensabat; Hactenus CAPELLA Sat. L. IX. Non dissimilia sunt, quæ Hist. de l' Acad. Roy. 1707. pag. 9. & 1708. pag. 27. de Musico quodam febre correpto, & de Magistro artis saltatorie, iidem febre laborante, & lethargo obruto, musicos ope sanatis nar-*

narrantur. Quicquid sit, ut musicæ vis medica probetur, omni exceptione majora sunt hominum à Tarantula (qua est phalangii species in Apulia) vulneratorum exempla & symptomata; quæ enodatiū descripsérunt SCHOTTUS, VALLETTA, SENGUERDUS, BAGLIVUS, quibuscum conferantur PLINIUS L. XI. C. XXIX. DIOSCORDES L. XXIX. KIRCHERUS Phonurg. L. II. S. II. C. IV. MISSONS Nieuwe Reizen door Ital. T. II. p. 221. Illorum vero hominum alii qui, ut SCALIGER ait, sopore occupantur, sed non pauciores perpetuis vigilis distractabuntur: alii flent, alii risu diffunduntur; quidam currunt, quidam inertes sedent, sunt, qui sudent, qui vomant, qui infaniant. vid. Exercit. 185. Cui malo, quantum humana diligentia volunt, non aliud remedium esse paratum mortales experti sunt, quam si vulnerati certa quadam, ipsisque gratâ, musicâ demulcentur, ut tripudiant, lassati sudore diffluant, ac concidant tandem: quo facto venenum expellitur, & ipse corporis animique vigor, illò deturbatus, restituitur: ut paulo ante monuimus. Interim haud exiguae erit utilitas in explicando hocce negotio, si ad ea, quæ supra (Sch. §. 80. fin.) monuimus, animum adhibere velis, exinde enim, qua ratione totum corpus nostrum à musicâ affici, moveri, pati queat haud obscure intelliges.

§. 99.

Ex hactenus dictis autem liquido colligimus, rationem eorum, quæ supra (§. 43.) afferuimus, tam in ipsa tenorum indole, ac determinato, quem bi excitant, spirituum animalium motu fundant (§§. 15. 25. seq. 35. 42. 58. seq.); quam à diversitate systematis nervosi (§. 59.), temperamenti & gustus musici (§§. 53. 55. 56.), à lege imaginationis & nexus idearum (§. 67.), à consuetudine (§. 68.), ac à diversa regularum in elegantia musices dijudicanda necessariarum cognitione (§§. 53. 70. seq. 83. 96.) derivandam esse.

§. 100.

Musica igitur mira quedam ac innata vis inest, quam in excitandis, augendis, moderandisque affectibus ita exserit, ut partim efficiens, partim occasionalis sit effectuum suorum causa. Dum enim toni musicamentem constanter grata vel ingratè afficiunt, ratio hujus effectus sufficiens ex ipsa illorum actione intelligitur, ac proinde causæ sunt effectuum suorum efficientes (§§. 58. 79. 80. seq.). Sed iis in casibus, quos ult. §. præc. membro indigitavimus, vim mentis ad has illasve sensationes dirigunt, & affectibus gratis in gratis.

48 DISSERT. PHILOSOP. INAUGURALIS.

gratisve ansam præbent (§§. *ibid. citt.*), tumque occasionaliter effectum producunt. Quapropter asserto sua constat veritas.

SCHOL. Hæc ergo cum ita se se habeant, cumque tanta sit musicæ vis in animis demulcendis, quid quæso miramur perplures, quibus τὸ Θεῖον, quod in musica reconditum est, perspicere licuit, hanc artem, ceu cælitus delapsam, hominibusque concessam, ab omni jam ævo exceptisse, & excoluisse. Certe tantus apud gentiles haud paucos musicæ fuit honos, ut vel teneros liberorum suorum animos tam in vocali, quam in instrumentalí musicâ sedulo erudiverint, ac ad altiora præparaverint: quemadmodum PLATO, CICERO, POLYBIUS, ATHENÆUS & alii testantur. Ne jam de multiplice illius usu in vita communi (qui ex hac tenus dictis satis elucet), ac de eo pluribus differam, quem in re militari præstat: dum scil. spiritum bellicum excitando, militibus animum addit, quare apud veteres jam moris erat,

Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

VIRGIL. *Aeneid.* L. VI. 165. Quid denique de sacro musices usu dicam? ea enim tam apud Judæos, quam apud Christianos partem cultus divini constituebat: uti liquet ex II. *Paral.* XXIX. 25. *Ecles.* II. 8. & *Psalmis* perpluribus. Conf. quæ de Hebr. Mus. fuisus tradidit Cel. S. v. TILL in pecul. lib. cui tit. *Digt. Sing. en Speelk. der Oud. Hebr.* Christianos vero Apostolorum temporibus jam musicâ uulos fuisse, ex præcepto Pauli *Colos.* III. 16. & *Eph.* V. 19. colligimus: quem postea morem laudabilem in ecclesiâ obtinuisse, tam *gentiles*, quam *Sancti Patres* abundè docent. Nec obscura est hujus consuetudinius ratio; cum cantus divinus, & musica illi ritè adaptata mentem erigant, à terrestribus & curiis humanis abducant, animum tranquillent ac ad meditationes rerum cœlestium elevent (§. 86. & *Schol.*). Deus interim Unus & Trinus, qui sapientissimus ecclesiæ sus Fundator, Gubernator & Protector est, hanc uobis concedat gratiam, ut unanimi omnes consensu, ore, corde, cantu, viribusque unitis constanter ipsum glorificemus; donec beata illa æternitatis tempora nobis illucescant, quando cum omnibus beatis cœlitibus, summas Dei Triunus laudes æterna quadam ac cœlesti musica cantuque enarrare, omnibus concedetur electis.

F I N I S.

T H E-

THESES.

1.

Syllogismum esse medium inveniendi veritatem, ejusque usum in demonstrando indispensabilem esse, statuo.

2.

Prima rerum possibilates, s. Essentialia rerum absolute aeternae, immutabiles, ac necessarie sunt.

3.

Nil est philosophicè verum, & theologicè falsum.

4.

Principia contradictionis, & Rat. sufficientis adeo sunt firma, ut, qui illa in dubium vocat, eo ipso, quo de illis dubitat, eadem stabilitat.

5.

Sensus externos, ut tales, fallere posse nego.

6.

Mentis essentiam in vi cogitationum genitrici confitere, ac ideas dari innatas, affirmo.

7.

Quamvis ex mentis natura ejusdem immortalitas à priori haud obscurè colligi queat, illam tamen ex Justitia Divina, accedente S. S. testimonio, quam clarissime probari posse, autumo.

8.

Materiae vis cogitandi communicari nequit.

9.

Mundum hunc scopo Divino i. e. gloria Divinae manifestande convenientissimum, eoque sensu optimum esse, tam sana ratio, quam S. S. apertissimè docent.

10.

Mundus nec est, nec esse potest ab aeterno.

11.

Spatium omnino vacuum, vi principii contradicit. & Rat. suff. impossibile esse, defendo.

G.

12. Le-

12.

Leges motus non sunt absolutè necessariæ, ac immutabiles, sed contingentes & mutabiles; ita ut illæ non ex principio contradictionis ac necessitatis, sed ex princip. convenientiæ, ordinis & perfectio-
nis sint derivandæ.

13.

Effectus ille solum est dicendus miraculosus, cuius ratio sufficiens non
habetur in actionibus causarum secundarum, ac proinde solus Deus
miracula patrare potest.

14.

Decretum Dei æternum, liberrimum, sapientissimum ac universale
esse, contendo.

15.

Quod tamen decretum Dei libertatem creaturarum rationalium nullo
modo tollit.

16.

Præscientia futurorum Deo recte tribuitur: scientiam vero medium
Deo adscribendam esse, non credimus.

17.

Dari generationem spontaneam vel æquivocam, scilicet ex sola putredine
animalia generari, falsum pronuncio.

18.

Lumen non constituitur igniculis ex corpore lucido emissitiis; nec ra-
dii solis, aut aliorum corporum lucentium ad nos demissi, sunt
geometrice recti.

19.

Causas elasticitatis, cohæsionis, fluiditatis, caloris, gravitatis,
attractionis, materiales esse ac mechanicas, quamvis mechanismus
nos lateat, ex principiis metaphysicis sequi, affero.

20.

Peccatum omne, ut tale, est privativum quid.

ERRATA.

Pag. 5. l. 9. in fine addatur comma.

Pag. 6. l. 20. supersedemus. *Lege* supersedemus.

Pag. 7. §. 12. l. 1. toni diversi. *l.* soni diversi.

Pag. 19. §. 43. l. 11. hiversi. *l.* diversi.